OXONIENSIS ACADEMIAE PARENTALIA.

SACRATISSIMÆ MEMORIÆ
potentissimi Monarchæ IACOBI, Magnæ
BRITANNIAE, FRANCIAE &
HIBERNIAE Regis, Fidei Orthodoxæ
defensoris celeberrimi, &c. Dicata.

OXONIÆ,
Excudebant *Iohannes Lichfield, & Guilielmus Turner.* *Anno Dom.* 1625.

AD POTENTISSIMVM
CAROLVM, *Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regem, &c.*

QVę *dolor* & *pietas*, volitantis ad astra *parentis*
Impendãt tumulo, (summe *Monarcha*) damus.
Nullæ hîc ambages, aut pictæ pompa querelæ:
Sufficit ad *fractos* vilis avena *modos*.
Nil dixisse pudet, nimium timor amputat; omnes
Hoc cupimus tantùm, vt carmina *grata* fluant.
Grata *patri*, & *Nato* qui iam moderatur habenas,
Nec dedignatur *patris* obire vices.
Non expectamus placidos *in Funere* vultus,
Nubibus obductus *Cynthius* ipse latet.
Non abigat saltèm tua nos *Clementia* Tristes,
Vt constet *Musis* iam superesse *patrem*.

IN OBITVM REGIS IACOBI.

ERgone Tu tandē (Regum Doctiſsime) terras
Deſeris attonitas? ergo tria Regna relinquis,
Vt doleant Dominū tot pectora fida relictum?
Pròh ſuperi! Quid Fata parant? ſi flamina Regum
Tam tenui pendent filo, quid turba Minorum
Expectet, cùm mors ita ſceptra ligonibus æquet?
Sed ſubolet quid mens tacito ſub pectore verſet
Præſcia Venturi, Martiſq; inimica procellis.
Senſerat Europam ſubito flagrare tumultu
Pacificus, Nec fræna pati, nec ferre monentem
Neſtora ſi vincat, vel non Solomone Minorem,

Ingemit

Ingemit, & quoniam (dixit) mea vota *valere*
Non video ulteriùs, ſed quilibet urget *ad* arma,
Aſcendam quò pace *fruar, nec* ſanguine *canos*
Commaculare libet. Sit CAROLVS *vltor* Eliſæ,
Nec ferat Exilio ſpretos *languere* Nepotes.
Sic fatus, placidè obdormit, *Nos flemus Ademptum,*
Sub quo tot gratis *celebrauimus otia* luſtris.

Sereniſſimæ Majeſtatis veſtræ

Seruus & Profeſſor

Humillimus:

IO. PRIDEAVX,

Vniverſitatis Oxonienſis

Procancellarius

IN OBITVM REGIS IACOBI.

SI nisi tot *meritis*, & tanto *Principe* digna
Carmina nemo daret, Carmina nemo daret.
Sed quia *Phœbus* abest, & flent *sine lumine* musæ,
Heu *Genus & species cogitur ire pedes.*
Æternum stupeat, qui iam tacet, esse *poetam*
Me miserum interea cur *tua Fata* dabunt?
Scilicet vt *Famulus* per te tot Honoribus *auctus*,
Incipiat posthac esse *poëta Tuus.*

Robertus Dormer, Baro de
Wing è Coll. Exon.

Cvm Rex vsta grauì sentiret viscera febre,
Tingebat gèlido sæpe liquore manus,
Vndam fata sui Regis plorâsse putares,
Dum lapsa est tremulâ plurima gutta manu.
Mox febre exutus, torpet sub frigore lethi;
Nunc lacrymæ tepido flumine membra lavant.

Henricus Percy, filius Henrici
Comitis North. Ex. Æde Chr.

ANglia, IACOBO lacrymarum solue tributum,
Atq; exundet aquis insula mersa tuis:
Deliciæ periêre tuæ; Flos decidit: hortus
Quæ fueras, tellus nunc inamæna iaces.
Quàm sterilis, quàm nunc infælix Anglia! nobis
Patria iam non es Terra, sed Exilium.
Vita brevis: Longum Deus, & par luctibus ævum
Det mihi; nam flendus Rexq; Paterque meus.
Hæc dico malesanus ego; sed tempore fausto
Et Patriam reddet CAROLVS, atq; Patrem.

Carolus Howard Miles, filius
Caroli Howard Comitis
Nottinghamiæ.

PRæcluſit Fontes *Helicon*, Moriente *Jacobo*,
Nec *ſolito* fluxit *murmure*, vt ante, latex:
Phœbus adeſt, *Muſæq*; vocat; ſtant vndiq; flentes,
Et ſubitò *lachrymis* intumuêre *vada*.
CAROLVS *Accedit*, *Nihil* & *mutabitis*, inquit,
En vobis poſthâc ipſe *Iacobus* ero.

Iohannes Robarts Baronis de *Truro*
Filius Vnicus, è Coll. Exon.

TRiſtem *Melpomene lyram* capeſſe,
Vos Muſæ querulo canetis ore
Lugubres Elegos; ſequentur omnes,
Et plebs, & *proceres*, nemuſque, & arua,
Et quæcunque facit IACOBVS *orba*.
Te (ô quàm Te memorem!) nimis calore
Feruentem potuit cremare febris?
Dii! quiſnam hoſce piabit ignis ignes?
Quæ reſtat Medicis medela famæ,
Si Reges quoque mors rapit potentes?
Iam Febris *Medicæ* vocetur *Artis*
Probrum, *iudice* (ſi placet) *Galeno*.

Chronogramma ſumptum è Virgilio, 6°. Æneid.
An. D. quo occubuit denotans 1625.

QVIs t, PaLInuVre, DeorVM
ErIt VIt Longè nobIs?

SI Mauors, inimica Dei cognouimus arma:
Sin Pallas rapuit, fit quia gratus erat.
(Mars inimicus erat, placidam quia fouit oliuã;
Quòd tempſit Martem, Pallas amica fuit.)
Neſcimus Mauorſne fuit, Pallaſne, Vel OVTIS;
Nouimus hoc, Anglos lumine *egere ſuo.*

Errâſtis Medici; Regem non corporis humor
Conficit, aut febris torrida flamma cremat.
Sed diſcors ignis quo nunc Europa laborat,
Quo niſi pacato, viuere non voluit.

Nathan Fenis *filius Vice Comitis*
Say & Seale, & Noui Coll: Socius.

Dîe Iacobe, Tuâ quot Reges claudimus vrnâ:
Hîc iacet, è Priſcis quiſquis in Ore virū eſt:
In Terris Ptolomæus eras; Alphonſus in Aſtris;
Auguſtus ſceptris, verſibus Ipſe Maro.
Vel Maro, vel nemo celebret tot Funera; flendū eſt:
Qui dolet in numeris, non ſatis Ille dolet.

Lud. Morgan E. A. F. Coll. Ieſ.

Dominicâ LÆTARE illucente deceſſit IACOBVS
Rex Magnæ Britanniæ.

IAcobvs ſemper vixit plus & popularis,
Vulgares ritus, cæleſtia jura tenebat
Vivens & moriens. Atq; hoc Rex Carole penſa:
Lætus Te Domino concredidit ipſe quieſcens
In Domino; Sicſic jam Te pater optimus ornat,
Et quod apud Dominum poſuit diadema, reſume
Rex hodie: In Domino Lætare & ponito luctus,
(Ipſa dies Domini LÆTARE auroraq, ſuadent)
Tam mortis triſtes quam noctis pelle tenebras.

R. Kettell *S.T.D. Coll. S. Trinit. Præſet.*

SI quis ab extremâ foret inviolabilis horâ,
Si quis Parcarum triſte retardet opus:
Tu poteras, tu dignus eras, Rex magne, perenni
Turbine volventis ducere fila coli.
Ingenio quid enim tanto, quid acumine ſummo
Dignius, æternùm quò ſupereſſet, erat?
O vtinam nullo potuiſſes funere tolli,
Vivere Neſtoreos digne, Iacobe, dies.
Cur pietas fatis non obſtitit? ah, toties cur
Sævam non tenuit Parca rogata manum?
O ſpes fallaces! Triſtes cohibere querelas
Quis potis eſt, lacrymas quiſve tenere pias,
Cùm videat, quantam, Regum doctiſſime, cladem
Mors te tuâ infælix terra Britanna ferat?
At Deus ecce repentè malis ſolamina tantis
Exhibet, atq; animo nos jubet eſſe bono;

Pacifico nobis, qui fecit, Principe adempto;
Sit ſucceſſori, pax geminata, novo.

SEBASTIANVS BENEFIELD S.T.D.
& Profeſſor Publicus.

De Martio, menſe peremptorio, ſed & benigno.

IDem ille, ille idem Menſis, qui elifit ELIZAM,
Suſtulit & vitam, ſumme IACOBE, Tuam;
Qui fidei veracis & impenetrabile Scutum,
Et Scutica infeſtæ Relligionis eras.
O mihi poſt omnes Martî memorande Sodales,
Qui perimis Sexûs par vtriuſq; Decus.
Immò, immò, ante omne, Martî celebrande Sodales,
Qui rapis HANC, rapis HVNC; ſed ſuper aſtra rapis:
Terreni ut tandem exuto Diademate Regni,
Aureolam in Regno geſtet vterq; Novo.
HANC rapis, HVNC reddis: rapis HVNC, & reddis EIDEM
(Non ditione modò) conditione Parem.
CAROLVS is PRIMVS, nulli pietate ſecundus,
Deliciæ Regni, maxima cura Dei.
QVEM Regum Rex ipſe regat, Sceptrumq; ſecundet,
Fœcundetq; Thorum, multiplicetq; Genus.

IO. RAWLINSON *Aulæ Stî Edmundi Principalis.*

QVid (*Lacheſis*) fatale paras, populiſq; minaris?
Non ſimplex meditata nefas. Timor unus & horror
Occupat attonitas gentes, unoq; ſub ictu
Stat fatum Europæ; cujus pax omnis in illo
Vixerit, & moritur, tanto ſibi numine dempto.
Nam cui tanta quies irarum? parcior vſus
Sanguinis humani? Sub quo ſine militis vſu,
Pace fruebamur (regno gaudente) Britanni.
Te quoq; ne videas venturi vulnera belli,

Cre-

Credibile eſt tenebris oculos clauſiſſe ſupremis.
Aſt nimium crudelis eras, mitiſſime Regum,
Sic voluiſſe mori ſubitò; dum maximus ægro
Auxiliator ades mundo, miſeriſq; levamen.
Debuit hoc ſaltem (cui cætera quæq; licerent)
Non licuiſſe mori. Quiſnam hæc in funera miſſos
Caſtiget fletus? pietas privata coëgit
Me lacrymas, IACOBE, tuis libare ſepulchris
Luctibus æternis. Sed quid tua funera triſtes
Flemus in occaſu? Tu matutinus ab ortu
In CAROLO ſurgens, aliuſq; & naſceris idem.

T. ANYAN *Præſes* C.C.C.

COmmuni pietate tuos Academia manes,
Et noſtri propriâ condoluêre lares.
Aula eſt *Regalis* [a] Regum cura alma duorum,
Contulit hic cenſum; quod magis ille refert.
Structura hæc fuerat ſine te ſub paupere tecto
Inter florentes, nomen inane, domus.
Et quantò majus lapſos reparare, IACOBI
Tanto fata movent nos propiore metu.
Spes minor hinc iterum ſurgentes cernere muros,
Teſtanturq; ſuum rudera noſtra metum.

[a] Ex *fund.* Ed. 2di *inſtaur.* Jac.

IO. TOLSON *Sac. Theol. Doct. Coll. Oriel. Præpoſit.*

CArmina qui ſcribit cedro vel marmore digna,
Sit Rex, ſit doctus, ſitq; poëta licet:
Nulla tamen tumulo facit hic quæ digna IACOBI,
Ipſe ſibi tumulus, ſunt monumenta libri:
Ipſe ſuum condit carmen, ſibi marmora ſtruxit
Legibus, ingenio, pace, & amore pio.

IOSVA AISGIL *S. Theol. Profeſſor.* C.C.C. *Socius.*

Parentalia IACOBO.

QVi modò ad inuidiam fælices, ecce repentè
Cogimur ad lacrymas turba togata nouas.
Nam veluti quaſſata ſuo fundamine tecta,
Aut capite amiſſo membra ſoluta ruunt:
Sic moriente, ſimul moritur ſpes noſtra, IACOBO;
Et fugit, amiſſo principe, noſtra ſalus.
Scilicet is ſolus miſeris ſolatia Muſis
Præbuit, & noſtri ſpes fuit vna Chori.
Quod ſupereſt igitur (ſiquid pia carmina poſſunt)
Decantata Elegis fama perennis erit;
Sæcula defunctum mirentur vt vltima Regem,
Sæcula cui Regem nulla tulêre parem.

GVIL. SMYTH S.T.D. Coll.
Wad. Guardianus.

In obitum IACOBI *M. Br. Fr. & Hib. Regis clementiſſimi, febri ſæviſſima quaſſati, & è terreſtri Regno ad Cæleſte per fidem Chriſti & pœnitentiam commigrantis, Carmen funebre.*

CONcordes ſtabili qui iunxit pace Britannos;
Reges Chriſticolas monitis ſociavit amicis:
Quaſſatas terræ hic cupiens aptare columnas
Europæ, tantam dum molem ſuſtinet vnus
Pacificus, *quatitur febri* fortiſſimus Heros,
Doctrina, ingenio, pietate excelſior omni
Regnante in terris; abſit mens invida famæ
Defuncti Patris, ſequimur dum funus honore,
Plangimus & tanto nos orbos Sydere fauſto:
Quo radiante ſuo luſtravit lumine gentem
Deſuper Omnipotens noſtram Pater, atq; rigavit
Rore ſalutifero. Sed *quaſſus* num perit ille?
Et genus in tenebris, tantum cui lumen ademptum?
Non potuit noſtras nox opperit oras.

Non perit: In terris Chriſto, regnante Iehova,
Qui ſuberat fidus, ſceptro, calamoque perennis,
Defenſor fidei, quam Sanctus Spiritus ore
Edocuit Vatum quot ſunt ab origine mundi.
Non perit: è terris ſublatus lumine Cæli
Qui gaudet; Regni nec-dum ſpoliatur honore:
Cum Chriſto & Sanctis qui regnat ſede beatus
Æterna: morientem & pœnitet Anti-Chriſtum
Quod non vaſtâſſet, quodq; omnibus ora profanis
Non obturâſſet, Sacri quo Numinis, atque
Nominis Æterni Regis teneantur honore.

ROB. BARCROFT, S *Th. Doct.*
& Socius C. C. C.

NVllâ ſcribimus obſtetrice muſâ,
Nec verſus damus adiuvante Phœbo.
Muſæ cura vice eſt, locóq; Phœbi
Succedit miſeris dolor Poëtis.
Ergo carmina noſtra ſi requiras,
Sunt ſuſpiria, lacyrmæque, & alti
Singultus, gemituſq;. nam decere
Tales non aliud Poema muſas:
Nec tales aliæ decere muſæ
Poſſunt exequias, vbi vrna claudit
Qui muſis pater eſſe: qui Poëſis
Subiectum ſolet eſſe dignioris.

DAN. EASTCOT *Coll: Wad. Socius, alma*
Academia Procurator.

Academia.

QVales coniuge mortuo
Agrippina tulit triſtis in vrnulâ,

Vltrà prodiga Romuli,
Vel ſacrata nimis funera Cæſarum,
O dulces cineres! Mihi
Quis votum invideat tam *modicum* & *pium*?

Ad CAROLVM *Regem.*

CLaudite jam rivos, lacry marum flumen apertum eſt,
Nec ſatis Oxonio tot maduêre genæ;
O Numen mortale, genas tu projice panem
Haſce ſuper madidas, & * *Salomonis eris.*

* *Eccleſiaſt. cap.* 11°. *v.* 1°. *tranſlat. vet.*

RICHARDVS HILL, *Alma Academiæ Procurat.*

In tumulum IACOBI *Regis.*

QVis iacet hîc? Rex IACOBVS: Quænam agmina mæſtè
Circumſtant tumulum (Diue IACOBE) tuum?
Pax, Muſæ, Charites, Clementia. At ille ſenex quis?
Europæ Genius. Quæ tamen hæc mulier?
Nympha Britanna. Gemunt omnes; Quæ cauſa dolendi?
Noſter honos, columen, delicium occubuit.
Longùm ergò pax alma Vale: lugete Camænæ,
IACOBVS Veſtro eſt mortuus exitio.
Æternùmq; gemant Britones: Iam pace relictâ,
Veſtram Europęi quærite perniciem.

Rob. Burton Sac: Theol: Bacch:
ex Æde Chri.

AD flendam Regis mortem dum prouoco Muſam,
(Iuſtior & fletûs cauſa ſubeſſe nequit.)
Illa mihi paucos differrem ſuaſit in annos;
Quippe meum nondum ſentio vulnus, ait.
Tum demum lacrymis veris plorabo, carendo
Cum didici me orbam præſidio eſſe meo.

T: T: Iohannenſ.
S. T. B.

Parentalia IACOBO.

In vitam & obitum duorum Sereniſſimorum Principum Octavij Auguſti Cæſaris, & IACOBI *Magnæ Britanniæ Regis recens defunctis carmen* Παεγύλλον.

REttulit *Auguſtum* victu, fatoq;, IACOBVS;
Ambo pares vitâ, funere & ambo pares:
[a] Totum pax miſſa eſt, *Auguſto* Rege, per orbem,
Cinxit IACOBI laurus opaca caput.
[b] Idem erat *Auguſto* Princeps, idemq; ſupremus;
Quiq; dies Regnum, Funus & iſte tulit:
Regna IACOBVS adit, poſt multos, deniq; ſoles,
Tertia lux nondum præterit, atq; cadit.
[c] *Auguſtum* Divis poſt mortem aſcribier altis,
Ac cælum iurans ſcandere Prætor ait:
Iamq; IACOBEO clareſcit calle IACOBVS,
Atq; inter Sanctos cælica regna tenet.

Io. HVLL *SS. Theol. B. Magd.*

[a] *Vbiq; cuncta, atq; continua totius generis humani aut pax fuit, aut pallio.* Flor. lib. 4. c. 12.

[b] *Idem dies accepti quondam impery Princeps, & vitæ ſupremus.* Tacit. lib. 1. Annal.

[c] *Nec deſuit vir prætorius, qui ſe effigiem cremati cuntis in cælum ſe vidiſſe iuraret:* Suet. lib. 2. cap. 100.

CVm mare, cùm tellus, convexaq; regia cæli,
Magna etiam extremis debentur ſidera fatis:
Nos nil miramur grandæ vum occumbere Regem.
Res ea mira magis, Regem, virtute potentem,
Cælicoliſq; parem, terrenâ in fæce, tot annos,
Pace animi inconcuſſâ, & maieſtate ſerenâ,
Compoſitum ſemperq; ſuum potuiſſe morari.
Non illum vrgebat diro fulgore cometes,
Non illum fervor populorum in bella ciebat.
Sed poſtquam nullâ potuit ratione domare
Chriſtiadum inſanos in bella horrenda furores,
Ætatis iuſſæ patiens, patienſq; peractæ,
Ad pacem tutam ſe in cælica regna recepit.

Ricardus Iames S. Theologiæ Bac.
Socius C.C.C. mærens ſcripſit.

In obitum ſereniſſimi Regis Iacobi, *verè* Iacobi, *verè luctatoris.*

QVisquis in incertam fidens deſcendit arenam,
Certat quò poſſit cingere fronde caput.
Quem meritò flemus, teneris luctator ab annis,
Solus in ætatis vere IACOBVS erat.
Quas nôſſe haud poteras novêre crepundia lites!
Inter Presbyterûm, Pontificumq; choros.
Te ſtatuunt Regem nutricis ab vbere raptum:
Invidet hanc famam gens inimica tibi.
Hæc vult Pontificem, non vult veſanior; at vult
In grege Papatum quiſquis habere ſuo.
Promptũ erat iſta tibi ſuperare, videndo, tacendo:
Litibus his pandunt viſcera, teq; docent.
Hinc noſti in terris ſummũ caput, at caput unum:
Ah fuge Cerbereum, centimanumq; caput.
Inter diſcordes animos maturior ætas
Flexit, vt ad dictum conticuêre tuum.
Extulit ecce duos poſthæc *Ruthwenius* angues,
Edentes rictu ſibila rauca ſuo.
Armatum vicit luctator inermis athletam;
Fidus dum infidum tranſfodit enſe latus.
Dum præceps toto ruit agmine, cæditur alter:
Myſtica nec ſanant carmina Ditis eum.
Hinc Acheron frendens, omnem dum commovet Hydram
Struxit inauditum ſed ſine luce dolum.
Major vt excreſcit tibi gloria, major Averni eſt
Invidia, & virus concitat omne ſuum.
Nec tibi perniciem ſatagens meditatur, omnem
Vno ictu (horrendum!) vult violare domum.
Dum tu cum Muſis luctare, ænigmata ſolvens;
Dumq; ſtupent ſenſum hic Oedipus unus habet.
Hinc patet haud fruſtra te progenuiſſe parentes;
Teq; Deum in terris ſubſtituiſſe Deum.
Hinc te ſchiſmatici vexant; hinc aurea turba

Sacrifi-

Sacrificûm tendunt retia; vterq; malè.
Diſcindis gryphos idem Rex, atq; Sacerdos,
Quæq; latent alijs ſolus aperta facis:
Victa jacet Papæ ira tuâ ſub vindice pennâ,
Subq; iſto mundum deſipuiſſe mones.
Ore, manu, pennâ, morbo, cùm denique morte
Luctâris, vincis; fit moriendo ſalus:
Nam quia terrenum nôſti hoc diadema, caducum,
Æternum vt caperes hæc tibi lucta fuit.

M. P. Ioannenſis. S.T.B.

REgis ad extremum Pax & Bellona ſepulchrũ
Vtraq; dum juſtis libat amara Rogis:
Pax tibi Ius debet, Ius tu (Rex Inc'yte) paci,
Pax ait, ac merito jure vocêre meus;
Relligio, paciſq; comes cultiſſima virtus
Læta Iacobęos eſt comitata Dies.
De ſpolijs (invicte) tuis Bellona Triumphos
Nulla tulit: Sceptris Palma tuis pietas.
Ne minuas Bellona meos reſpondet honores,
Non auxit vires enſe, ſed arte meas:
Conſilio magè quam gladio ſtat Bellica virtus,
Hoc me ſuſtinuit Nobilis enſe ſenex.
De noſtro certatis, ait ſacra umbra IACOBI,
Funere? ſat juſtum debui utriſq; locum:
Delicias mirata tuas mea regna putantur,
Indulſiſſe tuis (Pax) nimis vſq; jocis:
Iam quia laſcivo nimium tegis vlcera lecto,
Turgida dum nimio ſanguine vena ſcatet:
Mars tibi ſit Medicus, qui venis enſe reſectis
Hanc tibi ſponte ferat quam ſibi gratus opem:
Non me Bella ſenem quærunt, re(CAROLE) fortẽ
Acrùs expectant arma tremenda virum.

N. Carpenter S.T.B.
Coll. Exon. Socius.

קינה על מו·ת יעקב
מלך בריטניאה גדולה

מת הגדול מלך שלום
בארץ הו·א שר נדיב תם
הו·א מלחמה תמיד שבה
שלום אהב ריבת שנה
בדבר פיו גם תחת רגליו
שת עמו וידבר תחתיו
כן צרי מלכו·תו : רדה
בגוים רבים יד הדה
על אביונים לרפא להם
אבוי אבד לא יראו הם
מלכם עוד בארץ חיים
כי נא מלך בשמים.

Thomas Richardson Art.Mag.
Coll.Reg.Socius.

PAulisper O si maneat extremus dies,
Tantumne vobis fata? nondum basia
Mundus Parenti consecrauit ultima.
Privatus errat veste plebeiâ dolor,
Trabeamq; nondum non paratus induit
Regísve pompam. Subita grassatur manus
Pijs ruinæ prævenitq; nænijs.
Sine debitis periret exequiis, quasi
Mundus suoq; careret orbis funere.
Expirat ingens patris alti machina,
Basisq; naturæ gemiscens corruit.
Salsus fit amnis, Insulam lacrymæ fricant

Si

Si quid vides, hoc est cadaver Angliæ.
Reliquit arctum corpus anima, nescius
Princeps catenæ non ligatur carcere.
Pax, pax IACOBO, cui fat esset vel sua
Non mutuata, solus adderet Deus.
Cineres triumphent, seligat cælo locum;
Rex est & umbra, sequitur imperiũ Iovem.
Licet sepultus adhuc IACOBVS Cæsar est.
Regio sepulchrum est; Rex facit tumbam thronum
Tumulumq; regnum; tanti & vrna publica est.
Soliumq; si non inveniret, poneret.
Veneranda surgit en corona civium
Flexoq; adorat poplite infernalium.
Mirantur umbrarum susurrans tenuium
Caterva: canus confitetur Æacus
Se justiorem: jam tribunal desernit,
Virgamq; ponit & minantem purpuram:
Dum vulgus interim & levis plebs convenit
Lemurumq; populus; forsan & Britannici
Hic spiritus vmbræq; conterraneæ
Fato solutum rursus acciperent jugum.
Placet perire, citò sequamur subditi
Modò cum IACOBO tam serenum est emori.

Antonius Fawkner Art. Mag. Coll. Iesu.

IACOBVS STEVVARTVS:
Anagr.
ITA CVRSV SVO BEATVS.

SI qui *Pacifici* sint (Magne IACOBE) *Beati*;
Sat mihi sit, *cursum* posse *beare* Tuum.

Resp. Regis per Prosopopeiam.

Cùm cursum jam *Pace*, *Fide*, *Pietate*, peregi;
Restat *Justitia* sola *Corona* mea.

Ioh. Dod Art. Mag. & Coll. Exon. Socius.

In IACOBI *Regis obitum mense Martio defuncti.*

PEr quem parta quies populis, & copia rerum,
Ac suus ingenuis artibus auctus honor:
In falces, Duce quo, galeæ conflantur & enses;
Religio, Pietas, quo Duce, vera vigent;
Pacificum (noua dum meditatur bella) [a] *Parentem*
Martigenæ [b] *Nato* cedere fata jubent.
Quàm malè (*Mars*) clauso reseraueris ostia *Iano*,
Nòrunt præsentes; quàm bene, posteritas.

[a] *Iacobum.*
[b] *Carolo, Regi Martij 27. renunciato.*

G. Scobble Art: Mag. & Coll. Exon. Socius.

SÆva dies quæ te vetuit consistere terris,
Rex bone, quas clades, te pereunte, dedit!
Carolus ecce patrem desiderat, Anglia Regem,
Musæ patronum, præsidiumq; suum.
Sacra suum columen cecidisse Ecclesia mæret,
Et defensorem postulat orba fides.
Perdidit infælix Academja numen amicum:
Libriq; Authorem deflet abesse tuis.
Perdidit exemplar Regum fortuna verendum:
Quo decuit mores composuisse suos.
Cùmq; tuâ intereant bona tanta in morte, Iacobe;
Vt tecum pereant carmina nostra, leue est.

G. H. Ioanneusis. Art. Mag:

VIx thalamum intrârat Regis Mors, nuncia ab vmbris
Iam filum fatale colo neuisse Sorores;
Regis ab amplexu cum PAX exterrita surgit,
Et roseas lacerata genas, abjecit olivam:
Et medio plangens sic interfata dolore est;
Me miseram! quis thura meas laturus in aras?

Aut,

Aut, te defuncto, nobis maestabit honores?
Tu mea delubri decoratti limina sertis;
Sæpè manu multis cumulans altaria donis
Iam piget esse Deam: quantâ formidine solvor!
Heu Ianum timeo (cui, te vivente, IACOBE,
Non templum, sed Carcer erat) ne vincula capto
Discutiat collo, foribusq; repagula solvens,
Quà data porta ruat, mundumq; immisceat armis.
Dixit; & innexis hærens cervice lacertis,
Te sequar, exclamat, poteris nec morte revelli,
Et cum pacificus vixisti, pace recumbes;
Me comitem capies, vnâ tumulabimur vrnâ.
Et moritura fuit; cum Divę CAROLVS adstans
Dilapsam tollit; refovensq; amplexibus artus,
Pone metum, dixit: nunquam tibi causa doloris
Noster erit Mavors; Diuam te poscimus omnes:
Téq; tegam Clypeo: nam pro te mouimus arma.
His dictis, animo divæ cessêre dolores,
Lætaq; pacificâ CAROLVM donauit olivâ.

R. Heg. A. M. C. C. C.

Nasci ex rege, decus; cito regna capescere maius:
Summus at hic honor est, sceptra tenere diu.
Hęc vno videas ter fausto cuncta IACOBO:
Rege satus, citò Rex, Rex fuit atq; diu.
Sexaginta annos propè natus sceptra resignat,
Huicq; recens nato prima corona data est.
Quin ita (quod caput est) terrenos gessit honores,
Vt cui, cælestis sola corona, scopus:
Ergo annis gravis, & regnis satiatus abundè
In cælum ascendit, Rex vbi semper erit.

Quòd Mense Martio obijt.

IACOBVM tulit, atq; hunc Martius abstulit Anglis.
Martis an est mensis, Mortis an ensis atrox?

Mortis, ais: sed eum dum transtulit, extulit ista:
Pro fragili æternum nam diadema tenet.
Mars dedit hunc nobis, at Mors sibi reddidit ipsum;
Sic Mors haud illi seva, sed Angligenis.
Pace Anglos reperit, servauit, pace reliquit:
Credibile est illum sic voluisse mori.

Τίπτε μέλαιν' Αγγλὺς ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε,
Οὕνεκ' ἀνάκτορα νῦν ὁκ Ιάκωβον ἔχει.
Ἴσχεθε θρήνων, ὅδ' ἀνῆλθε γὰρ ὄλυμπόνδε
Μὴν δάμαρ ἡ Ἄννη οὗ ἀνέμιμνε λίαν.
Παῖδι λίπε στεφάνες Καρόλῳ καὶ σκῆπτρα κρατίστῳ,
Οψ' ἔσποι' ὦναξ σοῖς γονέεσσιν ἐκεῖ.

Ed. Silvester Art. Mag: Coll: Ball.

AGite, perempti, vos, quibus domini pias
Movêre, famuli, lacrymas, absistite;
Sinitéq; vt anno quos in vno perdidit
Ipsa ad sepulchra Regis & procerum fleat
Induta cultus lugubres *Britannia*,
Numerare clades inde & incipiat suas.
Primus doloris author, & dux agminis
Multâ vehendus laude Dux *Richmondiæ*
E Regis aulâ regiam cœli petit.
Post hunc, benignus ille fautor artium
Dorcestriensis exit è vitâ Comes.
Virtute fratri similis, & tactus loci
Fratrisq; amore Dux *Lenoxius* fugit.
Cum Filio Heros, peregrè, *Southamptonius*
Vitæ suorum consulens, perdit suam.
Referre longum est fata *Nottinghamij*
Qui cœlo *Iberos* militante reppulit;
Belfastiiq́, nænias & funera,
Hibernia qui tertiò Prorex fuit;
Constantiáq; clari *Hamiltoni* necem

Qui

Qui charus *Anglis* pariter, & *Scotis* obit.
Heu quanta ſtrages! pars quota Patricij ordinis
Petiêre tumulos concatenatim ſuos!
Deerat nefandis *Angliæ* vitijs adhuc
Gravius flagellum, deerat & qui triſtibus
Compleret omnem luctibus *Britanniam*.
Is, cui corona impoſita redimivit comas,
Tantis acervis addidit coronidem:
Dignus ſuorum, qui præirent, agmine,
Lætúſq; ſtratum carpſit ad cœlos iter.
Delicta populi ſic bonus Princeps luit:
Sic, quando *Boreæ* fræna laxat *Æolus*
(Manente frutice, ſtantibus cucurbitis)
Quercus, vel alta pinus in terram cadit:
Sic, quando currunt vilia in paſtus vagos
Armenta, cervix maxima in vulnus patet.
Hæc ſiſtat omne quicquid imminet mali
Ruina, quicquid vitia noſtri temporis
Pendere merentur hac luatur victimâ:
Placare cùm quæ Numen inſenſum valet
Non alia poſſit melior aut major dari.

Alex. Gil Art. Mag.
& Coll. Trinit.

DIgnos laude viros arcent à morte camænæ,
Quis verò has prohibet te moriente mori?

Ed. Bentley ex Aul. Magd.

FLere fælicem inuidia eſt. Quid ergo
Nil niſi has vmbras, cineres, ſepulchra?
Aut quid ignauo ſequitur IACOBI
Funera queſtu?
Ille tandem Nectare viuit; atq;
Iam ſuo fit poſthumus ipſe fato.

Ecce

Ecce ſpiranteſq; crocos in vrnâ, &
Perpetuum ver.
Quin ſit hoc gratâ pietate Sacrum
Henricus 7. Regio fixum tumulo: *Ligauit*
Sept imus fælice *Roſaq* catenâ, at
Regna IACOBVS.
Hoc, viator, ſat. Tamen ipſe buſtum
Sparge vino, pone roſis amœnis
Balſama, & ſacros cineres odoro
Perlue Nardo.

Tho. Eyton Coll. Or. Commenſal. Equ. Aurati fil.

QVos ſola mors honeſtat, atq; vrnæ favor,
Vitæ loquacem reprimens infamiam,
Fecit beatos, his licet tacito frui,
Nec inquieto funere. At Reges ſolent
Tumultuari mortui, & cineres ſacri
Spernunt quietis vile privilegium;
Defuncti eundem gloriæ expectant ſtylum
Quem poſſidebant viui, & imperium ſuum
Nec terminari morte, nec minui volunt.
Adhuc IACOBVS regnat, & ſceptri decus
Rex in ſepulcro, ſicut in cunis, gerit.
Ergo cadauer Regium cultu pari,
Pietate eâdem proſequi, ac Regem, decet,
Et vota facere etiam ſepulto numini.
Verùm IACOBVS, noſter & genius fuit
Et lingua; ſic ſic perijt eloquentia
Ruinâ eâdem, quâ IACOBVS occidit:
Nec quiſpiam lugebit hoc fatum ſatis,
Ni quem, IACOBE, ignibus animabit tuus,
At eloquetur vrna, &, vt viuos beet,
Sibi creabit poſthumum præconium,
Nam noſtra ſtupuit Muſa: nos hoc interim

In-

Inauſpicato gratulamur carmini,
Stupente linguâ, quod licet digitis loqui.

A. B. Coll. Magd. Bacc. fac: Art.

שיר משוט ומרבע *ſive, Ode, Dimetris*
& longis ſyllabis tota conſtans.

אמר ארון בספר אמרת
נפש היא תמות החטאת:
כי אם קרם בגלל פשע
דוד מלך רבר רשע
נתן על העם ישראל
העם שלא נאז האל:
אף עתה מבלתי נקות
העם המית אל מלחמות
יעקב המלך ברטוניס:
מלך הטוב מרישוניס:
מלך שרב יש לקח בו
השם ביניגר כל מארר
אמת האל גם אמונה
הנקדשה הנרשנה:
מלך בנתיבותיו חסיד
שלום שיש רודף תמיד:
אכן תמיד האל צדיק:
מלך הטוב מרע הרחיק
חלל הזה אף מחלכה
נתן שלא תהיה קצה:
ממנו על חטאתינו
נשא רוח האפינו:

Ὡς μάλα, Πιερίδων μελίοι, ψυσαντο παλαιοὶ,
Σώματος εὐαθινίας, τῶντε νεάων στε κρατεῖν;
Ἦ γὰρ ἀληθευσαν, πῶς οὐ θεράποντ' ἐφύλαξας
Τὸν σὸν, παῖς μύσεως τοὶ Βασιλῆα φίλαν;
Τὶς δυιάμιν μετέπιφτα τιὴν ἀιδύσεται, εἰδὼς
Τεθνᾶν' ὃς ζῶν σοι τόσσον ὄνειαρ ἔην;
Οὐ μὴν, οὐ τέχνης ἐλλείφας, ἀλλ' ἀγανακτῶν,
Καὶ φθονέων, Βασιλεῖ πότμον ἐφῆκε πικρόν.
Παντοδαπῆς γὰρ ἰδὼν παιδείας ἀκρ' ὀπιδαίνγα,
Χ' αὐτῷ τὰς μύσας ὡσεὶς μιν ἀπεσατέφ'
Κεῖνον ἀοιδοπόλοις, πολυίδμοσι τ' ἄθλα θέσθαι χεῖν
Ἀνδράσ', ἀμιπέφ κε δ' ἀμιξομένους
Τῶ μετέχφ ἰδίας δόξης πιὰ χωόμενος κῆρ,
Καὶ τοξεῖ, τοξεῖον, κίνδυνοι, εἶτα γοῶν'
Τόξον ἀπελκώσας βαρὺν ἠκοντίζει οἰστὸν,
Ὃς, θανατηφόρος ὠὶ, ςῆθος ἀνακτος ἔδυ.
Ζεὺς δ' εἰδὼς ἀρχῆιο φίλω μόρον, αἰπὰ χολωθεὶς,
Αὐτὸν ἐν ἀθανάτοις ἴδρυεν ἀθλα δόμοις.
Εὖγε μένος, Παιάν, βουλῆς μακαρίζε σεαυτόν,
Ὃν ζωντ' ἐζήλως, στεφθεντος ἐσὶ θανών.

ERgòne, qui vultu toties, & fronte serenâ
Exanimes vitæ reddidit Aonidas;
Qui toties lachrymas Musarum in gaudia vertit,
Præsentem & miseris præstitit æquus opem;
Nunc tristes elegos poscit; tristemq; Camænis
Materiem præbet, flebilis ipse, suis?

Sed

Sed quid nunc musæ numeros, quid carmina, mentis
In Dominum gratæ ceu monumenta, parant;
Quas non cum tanto simul expirasse patrono,
Quas tali Domino sit superesse nefas?
Verùm hæc multorum fuerit non vltima Regum
In pretio doctos, laus, habuisse viros.
Ast hic, quæ Reges alij mirantur in illis,
Regibus ipse aliis mirus, adeptus erat.
Gratulor interea ætati, IACOBE, futuræ,
Pignora doctrinæ tot superesse tuæ;
Quæ non vlla dies queat, aut abolere vetustas,
Omnis quæ stupeat lector, & omnis amet:
Tanta irrisisset nostri miracula sæcli
Posteritas, tantis testibus absq; foret.
Te Musæ regnante nouâ, Rex inclite, sede
Quæsitâ, veteres deseruere locos.
Tunc Parnassus eis Helicónque, palatia Regis,
Vitaq; tunc illis Aulica grata fuit.
Non illi placuère dapes, non fercula, verbis
Quæ non condiret docta corona suis.
Hæc illi semper sacræ de flore cohortis
Adstitit, hæc illum cinxit vbique comes.
Verùm aliàs inter tot laudes, omnibus vna
Antestat, veræ religionis amor.
Quas ob eam curas adijt, quantosq; labores,
Cum foret hostilis tam numerosa manus?
Ista vetustatis *fœta* fallacibus armis
In *veram* bellum pars sine fine gerit.
Sunt alij laruâ freti pietatis, & vmbrâ,
Ante quam cupiunt qui perijsse fidem;
Queis nihil est sanctum, quod prisca, solaq; pondus,
Quæ noua sunt, puræ religionis habent.
O per quem tantum columen decessit & vmbo
Vero, fac Vero turba inimica ruat.

Mer. Casaubonus ex Æde
Christi Mag. Art.

QVid non effræmis tentat dolor? ecce Poëta
Prodit, qui numeros nescit inire leues.
Cùm dolor exundet, stylus exundaret, vt inde
Non nisi de pleno gurgite fundat aquas.
Nè tamen hoc fatale malum per verba leuarem
Arctiùs angusto Carmine fata premunt.
At vos, queis fas est animum satiare soluto
Sermone, & querulos ingeminare sonos,
Conclamate omnes, vt totus perfluat orbis
Imbre genas, totus nam perit orbis honos.
Ille vnus mundum sociali fœdere iunxit,
Ex illo terris tuta mariq; quies:
Et cum pannosæ passim iacuêre Camænæ,
Ille vnus Musis Phœbus, & Author erat.
In gemitus properandum, omnis suspiria fundat
Ordo, ætas; ingens Lemma IACOBVS adest.

Ric: Gardner ex Æde
Christi Art: Mag:

QVi lachrymis se posse satis plorare IACOBVM
Cogitat, & tanto plangere digna rogo:
Non reputat, quàm largum opus est vndare doloris
Amnem, & quantillus riuulus est oculi.
Carminibus qui posse satis laudare IACOBVM
Cogitat, & tanto pangere digna Deo:
Non reputat, quantum humani fastigia sensus
Vicerit: & nostrum quàm nihil ingenium est!

Tho. Blakiston è Coll:
Reg. in art: Mag.

MDCXXV.

ReX obIIt pIVs, ACaDeMIæ benIgnVs.

REX obIIt pIVs, at pietas fundata manebit,
Quam servat Carolus Maximus atq; pius.

Rex

Rexq; benIgnVs erat, ſunt multi(ACADEMIA) teſtes;
Nobiſcum ſemper ſed benefacta manent.

Theoph Poe, Doctoris Med:
filius è Coll: Pembr:

SOLis ad occaſum, pro nigra veſte, tenebris
Terra dolens tegitur, ſtillanti rore rigantur
Pro lacrymis herbæ tremulæ, totuſq; ſilenti
Nocte gemit mundus tacito mœrore ſõpitus;
Sol tuus, Anglorum, tranſivit, terra ſub vmbras
IACOBVS, veræ fidei Patriarcha fidelis:
Hoc animi teſtis calamus ſceptrumq; fatetur.
Altius aſt tanti te mors, Academia, Regis
Tangit IACOBI, naturâ debita morti
Vltima ſolventis; tu nunc Academia ſoluas
Debita IACOBO: ſed conſtat præmia tanti
In fructus collata tuos maiora patroni,
Quàm poterit tenuis tua compenſare poteſtas.
Ex oculis vnum te læta Britannia binis
Nouit, & è bĩnis eadem te fontibus vnum;
Vno ex hoc oculo fons effluat vnus aquarum:
Siſte tamen luctus nimios Reſpublica, ſolis
Occaſum ſequitur ſolis clariſſimus ortus;
Tuq; modum in lacrymis teneas Academia, Patris
Viuit imago ſui CAROLVS, viuatq; perennis.

Tho. Flexney Coll: Exon: Commenſalis,
& interioris Templi London. Socius.

VEre nouo, Medici renouari corpora dicunt;
Fitq; nouus, ſanus, fit magè firmus homo.
Vere nouo, ſucci terreni fæce relictâ,
Maxime Rex purus cælica Regna petis.
Principiumq; noui fuerat qui Martius anni,
Principium eſt Regni, quod ſine fine manet.

Tho. Clayton Doctoris filius.



PErlege; num quæris, quid versâ fronte legendum?
Subvertunt sociæ Gaudia Tristitiæ.

Quod à mense Martio *ad* Maium *delata est Sepultura.*

Tristes num expectas Cineres lacrymabilis vrna?
Heu lentè properant, qui coluêre, Rogum.

H. Tozer Bac. Art.
Coll. Exon. Soc.

שיר מלובע:

מי יתן לי ראשי מים
מעין דמעה את עיני ם
כל היום ולילה לבכות
מלכת עמי בעבור מות:
הרי נא לנו כי חטאנו
נפלה כתרת ראשנו:
אם כן למעל עוד תוסיפו
את ם גם מלך תספו:
מראשית כן האל אמר
עתה שלם את הדבר:
גם זאת אמר יש כאלהים
אכן ימותו כאנשים:
כן אמר האל כן שלם
על כן אל ירעם נא העם:

Edvardus Meetkerkius ex Æde Chr. linguæ sanctæ Professor Regius.

PRudens, & sapiens, regum doctissimus esse,
Arbiter imperiis, hoc Salomonis erat:
Pacificus, clemens, fidei defensor, & alter
Divorum in terris, hoc Salomonis erat.
Totus eras, IACOBE, tuis, Rex optimus, at non
Divisum imperium est hoc, Iacobe, tuum.

De tribus Anglorum Principibus ultimis, primis nominis, sed diuersis.

ELIZABETHA suos, & adhuc memorata, beavit
Nomine primitio, forsitan omen inest.

IACOBVS

IACOBVS pacem regno sine fine reliquit,
Nomine primitio forsitan omen inest.
Succedit CAROLVS, pacem, populumq; beatum
Restituens, annòn certius omen adest.

E.W: S.Th: Bac. Coll:
Bal: Soc.

QVi cineres decorare tuos, vrnamq; putabit,
Ignorat numen (Dive IACOBE) tuum.
Impar *Melpomene* tanto Musæq; dolori,
Impar funeribus Græcia tota tuis.
Solus par vrnæ CAROLVS, divina propago
Ingenio & genio facta beata tuo.
Quod reliqui scribunt crassum est, & *Apolline* nullo:
Quùm cecidit sæcli magnus *Apollo* sui.

Io. Smith Art, Mag. Coll.
Divi Iohan. Bap. Soc.

Quod febre mortuus sit.

QVod nequijt prægnans nitrato pulvere tellus,
Crudelis morbi sævior Ignis agit.
Stramineum expungat jam Roma sacerrima Divum,
Inq; novos fastos Numina Febris eant.

Edovardus Tutt Art. Mag. & Novi
Collegij Socius.

Ænigma.

EXijt è vitâ, cùm *Martius* exijt: *Artes*
Fatalemq; *diem-Solis* Apollo dedit.
Terna tibi Numero addenti *Diademata* Regis,
Ætatem & Morbum si petis, aVLa dabit.

Lancelotus White Novi
Col. Soc.

Parentalia IACOBO.

Chronogram.

IaCobVs SteVarDVs ReX pIVs, IVstIssIMVs obIIt.

Ann. D. MDCXXV. & regni ſui Angl. XXII.

REX PIVS, & meritò qui rex IVSTISSIMVS audit,
Iuſtitiâ nulli, nulli pietate ſecundus,
Prò verâ verè dictus pietate IACOBVS,
Et pro juſtitiâ STEVARDVS; (proh dolor) ille
Nectare & ambroſiâ dignus, qui dignus obiſſe
Nunquam, vel ſenuiſſe fuit, ſi fata tuliſſent;
Ille (utinam nunquam fas ſic dixiſſe fuiſſet)
Ille OBIIT nuper Deus (atteſtante Iehova)
Tanquam homo jam moritur: lux regni & ſpiritus hujus.
Heu quantam eclipſin paſſa eſt noſtra Anglia! viſa eſt
In *Scotiam* & tenebras verti, vernumq; videtur
Hybernum tempus; ſicut Leo non velut Agnus
Martius egreditur, vitâ egrediente IACOBO;
Infauſtus regi menſis, qui audire volebat
Pacificus, Princeps pacis, non Martius; agnus
Non leo; rex piger ad pugnas, ad præmia velox.
Cùm talis fuerit, talis cùm vixerit, Agnum,
Deq; tribu Iudæ manſueto corde Leonem
Iam Chriſtum ſequitur, cum Chriſto Principe pacis
Regnat, pace Dei fruitur mortalibus vllis
Nondum intellectâ: Deus illi ad præmia velox
Ac juſtus judex dat præmia juſta, coronam
Iuſtitiæ, Regi fuerit quæ ſumma corona.

Geo. Stinton in Art. Mag.
Coll. Pembroch.

LIquêrunt nuper terras *Henricus* & *Anna*,
Ambo *Britanni* lumina, & ſplendor poli.
Vltimus Ætheream rapitur IACOBVS ad Aulam;
Potentioris ſideris fulgens comâ:
Tu tamen, ô Fatum, ne noſtrâ Clade triumphes,
En, lacrymarum finis, & luctûs adeſt:

Nam vetula Hos Iones, ingentiaq; Astra coëgit
Natura, magnum jam parans Mundi Rogum.

Alex. Hyd. LL. Bac.
Coll. Nov. Soc.

LVgete ô χαριτες, Musæ lugete, leporum
Si qua dea est, luctu lugeat illa pio.
Occubuit Musas qui nobilitavit, & Artes,
Qui cum Rex esse, *Pallade* plenus erat.
Quàm benè regnabant augusto pectore Musæ?
Quàm benè divino sederat ore lepos?
Pallinides artes pariter, pacemq; fovendo,
Terrenum nobis fecerat Elysium.
Des illi Elysium, cælestis Ianitor aulæ,
Non, nisi quod terris fecerat ipse, petit.

De patriâ Iacobi.

Gentibus antiquis, nisi nos proverbia fallant,
Omnia venerunt ex Aquilone mala:
Hinc *Teuto*, *Cimberq́*, ruit, *Burgundio*, *Suevus*,
Vandalus, atq; *Hunnus*, *Gothus*, *Alanus* atrox:
Hinc *Heruli*, *Gepidæq́*, & cætera turba cruenti
Martis progenies, quam numerare labor:
At nobis contrà quanta ex Aquilone bonorum
Materies? omne est ex Aquilone bonum;
Iacobvs, Carolvsq; & regia tota propago
Hinc venit, nobis fons & origo boni est.

Nathaniell Field in Art. Mag.
Novi Coll. Soc.

LVgete gentes, vatibus nunc est modus;
Nullum doloris posse *servare* modum.
Parum est habere sæpè stillantes genas
Pro Rege, parva si data est oculis mora.

O quam juvabit flere per totum diem,
Cùm memor eris tanti? tuu mijam ſpiritum
Effunde totum, tam beatum eſt hunc ſequi,
Et pace quam dederit in æternum frui.
Poſtquam Patronus cecidit hic Muſæ potens,
Quis eſt fidelis eſſe qui coget ſuos
Suadendo, dum jubere quod poſſit, rogat.
Non dicit ille citiùs, hæc populum decent,
Quam vulgus iſta peragit, & majus putat
Regi jubêre quiſq, quam juſſa exequi.
Anglíne poſſint Regis obliti pij,
Cui quæq; lingua nota erat tanquam ſua,
Silêre? lacrymas ſolus effundit lapis,
Marmorq; tumuli? prodiga hæc tellus fiet,
Et ſi dolenti cuilibet fatum manet
Crudele *Niobes*, vna ſit rupes citò;
Tellus ſepulchrum, meruit, vt tali foret.

Guil. Buckner, Art. Bac. ex
Æde Chriſti.

NOn te defunctum flebo, meliore potiris
Vitâ, defuncto mors tibi vita fuit.
Mortuus ecce viges, nullo præcone carebis,
Rex omnes laudes vrbis, & orbis habes.
Securus IACOBE tuo Rex eſto ſepulchro,
Cui dum vixiſti vita quieta fuit.

Richardus Napeir è Coll. Wadh:
Militis & Baronetti fil.

REx meus, Anglus ait; meus es, ſic Scoto-Britannus;
Αμφίϛιον faciunt, dum, Meus es, repetunt.
Neuter, vterq; valet: ſed quò lis orta fatiſcat,
Terra capit corpus; ſpiritus aſtra petit.

Io. Arundell Equ. fil. nat. max.
Coll. Exon.

Procede ſurde ſemper in noſtras preces
Phœbe, & Camœnam ducito tecum meam;
Poteſt ſtupere, nulla Gorgonem lacum
Magis profundè combibit. Parum eſt? Stygis
Noctem, atq; Lethes addito Tabem; & veni
Apollo verus; Cladium non carminum
Poeta. *Cecidit*; Audiat Tellus, Mare,
Et ſæuus Æther; audiat Sol pallidus,
Sibiq; caueat; audiat cæcum Chaos;
Cecidit IACOBVS. Stat ſuo cælum loco?
Nec adhuc revulſæ cardo telluris crepat?
Stupent quoq; iſta? vel parum credunt neſas,
Quod ſic ſeſellit? Debuit lapidum grauis
Sonuiſſe Nimbus, meſſis vt caderet virûm,
Charonq;. dives Regio ſciret rogo
Præludi, & aliam poſceret ſudans Scapham.
Timuiſſe mundus alterum Fatum, & Polus
Fumâſſe totus debuit grandi face.
Sic velitari parca tam magnæ pyræ,
Morbiq; *Flammis*, quo IACOBVS *arſerat*,
Debebat. At nunc addidit ſolertiam
Crudelitatj; pace donauit Sceſus,
Vt Gens petita ſentiat Damnum, & ſuo
Vacet dolori. Siccine? O fati nimis
Ingrata Domina; planctuum ſaltem petit
Comitem *Britannus*, ſi modo illius tua
Sagitta ſemper ſanguinem ex alto bibit,
Fuitq; iu Iras *Albion* ferax tuas.
Dubitatur? At iam Carcerem indignans dolor,
Mariſq; iniquas Compedes, ſibi viam
Præſtabit ipſe. Si ſuo Thamiſis vado
Adhuc in Ortum properat, & mœſtas aquas
Efflet Sabrina Virgo in Occiduum mare:
Et hâc & illâc curret; ac ſtemitum dabit
Quacunq; vaſto terra & ignoto ſinu
Patet, atq; canam concutit Nereus comam.

Plora;

Plorabit alter, & ſub aduerſo Polo
Ignauus Aër; iámq; Redeunti; benè
Fruetur Hyeme. Nilus abſtruſum caput
Extremo ab Orbe tollet, & Cladis ſonum
Grandi intonabit murmure, vt Gentes ſciant.
Scient Tyranni, & Regium Buſtum Rogis,
Vel inuidente morte, celebrabunt ſuis.
Triſtes ad arma confrement populi, & (ſeges
Cadmæa) ſeſe mutuâ metent manu.
Comitum *Britannus* numquid inuenit ſatis
Immite Fatum? nemo nunc audet miſer
Amare vitam, qui poteſt facilem Pyram
Lucrari, & Orbis ire in annales, Rubrâ
Notâ legendus. Nam ſuas ex quo vices
Iactare Olympus ceſſat, & Cunas ſuas
Numerare Roma, Sæcla diſtinguet nouis
Faſtis IACOBI *Mortuis Miraculum.*
Quem Parca quondam metuit, & ſcelus tamen
Meditata, vires antè tentauit ſuas.
Parnuſquè Præda prima IACOBVS fuit.
HENRICVS inde, maior occubuit labor.
Sperare tunc eſt auſa; & ingentem ferox
Auulſit *Annam* pectoris partem Sacrj.
Senſimq;. ſero vulnere, & multâ manu
Ruit IPSE.
At non degeneri letho, morboq; pudendo
Arſit: & haud alij docuit ſe cedere Buſto,
Quàm quo Natura, & Mundi compago peribit,
Cum ſemel extremâ flagrabunt omnia *Febre.*
Ergo, luſtrales cum iam ſuperaueris ignes,
I, rue ſideriam fidentior hoſpes in Aulam
Cognatum Ardenti ſubvectus in Æthera curru.
En! vaſto Alcides Axem deduxit hiatu;
Quoq; ipſe accenſâ fumans olim iuit ab Oetâ,
Pandit iter, ſedemq; propinquâ monſtrat in *Arcto*,
Vnde tuos videas integrâ luce *Britannos*,

Et CAROLI magnum modetêre in sæcula *Plaustrum*.

Tho: Master. Novj Coll. Socius.

IAcobus iacet hic, virtute, vt nobilis ortu,
Consilio maior, maximus ingenio:
Qui Pacem populis fecit, suasitq; salutem
Et quam nolebant, fortiter imposuit.
Pacem ferre suos iussit, propriamq; salutem
Posse pati inuitos Angligenas docuit.
Quod populo belli strages luctusq; negauit,
Creditur hoc tantum displicuisse suis.

Insigni fileat raptus Dictator Aratro:
Hic iacet è cunis raptus ad Imperium.
Quem Regem natura dedit, cuniscq; sceptrum,
Ambijt in Regem Scotia prompta suum.
Quantus erat senior, cum fas sit credere, sceptra
Scotica tam teneras posse decere manus.
Credibile est, & qui gessit, potuitq; mereri
Sceptrum infans; cælum demeruisse senem.

Guil: Pickering Art:
Mag: ex Æde Christi.

Anagramma.
Iacobus Stewart obijt.
Ibo sicut beatus viator:

DE te, deq: viâ verum est Anagramma: beatus
Ante obitum dici, fataq; nemo potest.
Hîc labor extremus, longarum hîc meta viarum,
Perficis hîc, omni ex parte beatus, iter.
Duxit in optatum, te mors, brevis ut via, portum:
Anchora Spes, Christus dux, Cynosura Fides.
Sic expectatâ non segniter hæret arenâ,
Libera ab horrisonis naufragâ Pinus aquis.

Gasparus Pyne ex Aul. Cerv.

Parentalia IACOBO.

RAptura Regem Fata quærebant Virum
Curas coquentem publicas, Iustum, Pium,
Pacis Patronum sedulum, Robur togæ,
Baculum Camænis, Omnibus gratum Caput.
At (æuus Error (sæuus ô vtinam foret,
Modò semper Error) Scæuolæ in morem trucis,
Virtute similes Aulicos vrnæ dedit.
Dorsettus obijt, Proximi *Lennoxij*,
Sed neuter horum meta quæ satiet rogum;
Successit *Hammiltonis* in stragem cinis,
Non ille meta, iamquè Mors irâ furens
Proprium Ministrum nocte *Belsastum* obruit
Cumulare solitum busta victrici manu.
Post mi'le tela (vota nam populi diu
Luserè Parcas) occidit tandem colus
Niminm petita; crede sed nondum mori,
Mutasse tantum Regiam credas suam;
Vbicunq; Rex est, Aula sortitur locum
Quocunquè migrat, turba Nobilium frequens
Stipare gestit. Angliæ nullus sinus
Orbíve tabula monstrat, at cælum dabit.

Io. Donne Æd. Christi alumnus.

SOlus qui didicit sequi patentem,
Hic statim metuit præesse mundo:
Nec sese patitur citò vocari
Regem. Tam subito pater IACOBVS
Qui mundi moderator, orbe pulsus?
Heu nescit CAROLVS dolore cinctus,
Stipatus lachrymis, tegi coronâ.
Dum (VIVAT) geminant, struunt dolores,
Dum Regem CARODVM creant, trucidant.
Sese surripuit Pius cateruæ,
Ad Sanctam properat domum IACOBI
Quæ dicta: hic queritur Patrem, IACOBVM;

At IACOBVS abeſt, Pater receſſit,
Et cælos repetit quiete plenos.
Sanctis Papicolæ ſuis fruantur.
IACOBVM veneremur; ipſe Magnus,
Sanctus, Pacificus, Monarcha ſolus.
Tot ſtruxit monumenta, quot ſtupenda
Fecit geſta domi, foriſq; ſcripſit
Libros: hiſtoriam reliquit actam.
Et quodcunq; bonum tenemus omnes
(Et quàm præ reliquis ſumus beati)
Hoc donum, ingenium, ſalus IACOBI.

Curis obruimur, ſtupent Camænæ,
IACOBVS moritur Pater, Patronus,
Princeps, & Genius, decus, deuſq;,
Muſarum, pietatis, orbis, artis,
Pacis, relligionis. Heu dolendum,
Mæcenas cadit omnium IACOBVS!

Michael Glyd ex Æde
Chriſti in Art: Mag:

QVò quò Britannos luctuum cogit furor,
Quid vſq; tanto regna iám buſto tonant?
Cur omne lumen rore turgenti fluit,
Stillatq; crebro ſudor oculorum lacu?
Eheu Monarcha, ſtrage ſed noſtrâ, perit,
Perit ſuperbi candida Imperij ſalus.
Vt grande ſceptrum debili iacens ſitu,
Animoſa fulcra candidę quærit manus!
Corona triplici iura quæ regno dedit,
Dum cinxit almas aureo amplexu comas,
Suſpenſa clauo nullus eſt vermi timor:
At ſemper vnum ſeruat imperium cinis,
Vbiq; rigidam cogit in lachrymas genam;
Virile pectus turba Scotigenúm ferit,

Angloſq;

Angloſq; cingit alterum luctûs mare,
Moriente rege regnat infeſtus Dolor,
Oculoſq; Gens deuota quos viuo daret,
Litat ſepulto, dumq; Rex lumen ſuæ
Gentis, profundâ nocte ſopitus iacet,
Videre toto lumine eſt ingens ſcelus;
En orbus animæ, pace marmoreâ rigens,
Cinctuſq; fæui ponderis cuſtodiâ,
Nimium quieſcit Ille, qui regni quies,
Qui pacis almæ cardo, qui cuſtos fuit;
Heu Ianus ille, candidus regni ſopor
Nimio tenacis clauditur ſomno rogi,
Et Vrna pacem rapuit, vt pacem daret.

Franciſcus Minne Ædis
Chriſti Alumnus.

QViſquis ſe ſtudio Dei ſacrauit,
Sancto pectora concitatus œſtro,
Hinc diſcat patriam ſibi futuram.
Muſas quiq; colunt ſeueriores,
Muſas quiq; colunt remiſſiores,
Confundant lachrymas, ſimulq; plorent:
Et Reges ſua fata deinde diſcant
Hinc tot Nobilium frequente letho
Nunc præluditur ante fata Regis:
Et mors principio audet in Barones,
Quos lento Comites gradu ſequuntur.
Et iam mors ſpolijs ſuperba tantis,
Inſurgit petulans, Duceſq; ſternit.
Oh ſed quam benè ſæua adhuc ſtetiſſet!
Vltra progreditur, manuque totâ
Inuadit (ſcelus oh! ſcelus) IACOBVM.
Mortalem licet indè ſuſpiceris,
At Regem tamen inde ſuſpiceris.

Lodonicus Williams
ex Æde Chriſti.

Parentalia IACOBO.

GArrula fama refert vita excessisse IACOBVM:
Credis? an hunc potius fabula posse mori?
Talis an & tantus potuit succumbere morti?
Qui fuit in terris (cognita dico) Deus.
Pacificus, summè prudens, doctusque, piusq;,
Rex tum Musarum, tum probitatis amans.
Credibile est potius correptos huius amore
Ad cœlum superos hunc voluisse rapi.

Iohannes Savile Eq. & Baronetti filius
natu max. ex Aula Magdal,

Quod in die Dominicâ sit mortuus.

COnsedêre dies, & consuluêre supremam
Quæ tibi lux luceret, magne IACOBE, daret.
Luna petit, magnas habet hæc in corpora vires:
Marsque petit, regnum scilicet ille dedit.
Mercurij prudenter agit sapientia causam;
Maiestas munus dixerat esse *Iouis*.
Detulerat *Veneri* per pontum sponsa petita;
Hoc mihi, *Saturnus*, convenit, inquit, opus.
Sola dies *Domini* victrix, sed mœsta recessit;
Nec mirum, *Domini* scilicet vnctus erat.

Robertus Heysome è Coll: Nouo.

In Symbolum IACOBI, *Beati Pacifici, & quod mense Martij obijt.*

VIvo nil potuit, sed jam morientе IACOBO
Plus Mars mense nocet, quàm nocet ense suo:
Sic sævit Britonum toto Mars impius orbe
Hinc, quòd Pacificus Rex Jacobus erat.
Sed quòd Pacificus, post tristia fata IACOBVS
Mortuus, invito Marte, Beatus erit.

Ed. Morterſhed Novi Coll.
Socius & Civiliſta.

In obitum Iacobi *post plurima Proterum suorum funera morientis.*

DEsine Nobilium vitio dare funera Fatis,
Aut culpare nefas, quod erat, moriente Iacobo,
Officii, non mortis opus; stipante catervâ
Vt procerum rex migraret comitatus ad umbras.
Nec regnum arripiunt, quæ vitam, Fata; sed ipso
Funere jam regnat, qui cunis sceptra tenebar.
Heu cur non sequimur! solo non posse dolore
Turpe mori post Hunc. Prohibet sed *Carolus*; in quo
Nomine mutato victurum crede *Iacobum*.

Hen. Oxinden Armigeri filius
nat. max. C.C.C.

REx caput imperii est regnum quasi corpus; in illo
Publica res visa est vivere, visa mori:
Si caput abstuleris, corpus sit vile cadaver,
Sic populus, Regis qui vacat auxilio:
Atq; videbamur nos quâdam morte perempti,
Nam fata & nobis imminuêre Caput.
Sic geminũ impendet fatum, subeundaq; mors est
Illi bis, Regem qui perijsse sciat.

Robertus Goodwin Æd. Chr.

POëticorum bombus obstreperus gregum,
Et bustuarium pecus circa rogos
Vlulet minores; Regium funus dolor
Non talis ambit, vda non lacrymis gena,
Non syrma, non Elegeia, non totus Deus.
Verum furorem, spiritus fracti sonos
Communis ista concitat Vastatio.
Tirubat Iambus hinc & hinc dubio pede,
Doletq; strictum terminum, & nimium brevẽ,

Siccumq; fontem, & sobrias ridet Deas.
Nunc ora fletu mergere vndanti parum est;
Oculum Britannus, & Oculum libet Scotus,
Iterumq; Scotus; spiritus illic suos
Hausit tenellus, sceptra cùm ferret sinus
Immista Nugis, inter & cunabula
Grandi coronâ luderent parvæ manus;
Initium Honoris, vnde non meminit sui.
Titubat Iambus hiuc & hinc dubio pede,
Doletq; strictum terminum, & nimium brevẽ,
Siccumq; fontem, & sobrias ridet Deas.
Insigne, & altæ stemma virtutis ferax,
Idæa nobilitatis, & compendium
Virtutis; in cujus beato sanguine
Regina multa floruit, multusq; Rex,
Immensus Ille frigidum terræ brevis
Cubile patitur, unus & totum lapis,
Britanniæq; abscondit ac Scotiæ ambitum,
Titubat Iambus hinc & hinc dubio pede,
Doletq; strictum terminum, & nimium brevẽ,
Siccumq; fontem, & sobrias ridet Deas.

Richardus Busby ex Æd. Chr.

PAcifico pax sit, cineri tribuamus eandem,
Quam dedit ille orbi. Pax sua Pacifico.

Io. Martyn Coll. Or.

NVne tandem video mortem omni lege solutam,
Terrenos rapiat cum Libitina Deos.
Flacce, nimis verum est, *Mors sceptra ligonibus æquat*:
Cùm subeant fati sceptra Britanna vices.

Optime Rex moreris, pia dum *Ieiunia* aguntur,
Dumq; suæ vitæ crimina quisque dolet.

Post

Parentalia IACOBO.

Post fatum, Iacobe, tuum *Iesuna* durent
Vsque, & perpetuus duret *vbique* dolor.

Thomas Merrye ex Æde Christi,
Equ. aur, fil. nat. max.

HEu infauste dies nigro numerande lapillo!
Qui simul orbâsti toto tria lumine regna,
Iacobo, cui nulla parem dent sæcula Regem.

Fauste dies niveo potius numerande lapillo!
Qui simul egregio tria Principe regna beâsti,
Principe, cui valeant dare sæcula nulla secundum.

Abstulit vna dies lumen columenq; Britannis,
Vna dedit; facto placida & crudelis eodem.

Ioh. Owen Art. Bacc. ex
Aula Cervina.

Quòd salvus Gourij *& Papistarum coniurationem evasit, & in lecto obijt.*

IAcobvm, quem nec gladius, nec sustulit ignis,
Morbi fregêrunt; quæritis vnde fuit?
Nec *Guido* * Lachesin, nec *Gourius* Atropon egit, * *Fauxe*
Hæ mortis, verùm hi tela fuêre virûm.

Gulielmus Chambers è Collegio
Ænea-nasensi Art. Bac.

ILlustris cecidit terrarum gloria *Cæsar*:
O quis mortalem crederet esse Deum?
Facta Deum resonant: hominem mors sola fatetur:
Quod nequeas vitâ discere, morte queas.

Ed. Cleeues è Coll. Pembr.
in Art. Bac.

AT vos defletum, Britanni, tollite Corpus;
Poſcentiq; ſuum credite pignus humo.
Arcebunt rabidum Cineres atq; Oſſa Gradivum;
Pacificus vel poſt fata IACOBVS erit.

Quod menſe Mart: exeunte obiret.

Inviſum ſemper ſibi Mars, & ſæpè petitum
Tandem IACOBVM ſuſtulit.
At ſcelus vt vidit, ſubitò ſe turbine velans,
Exivit in Suſpiria.

Rich: Parſons Art: Bac:
Novi Coll: Socius.

QValiter Hyblæo ſalices examine fervent,
Taurigenæ rapto cum fremuere duce;
Ceu Pandionijs incumbit queſtibus Atthis,
Dum ſopita ſodit pectora ſpina memor:
Non minus Iſiacas, extincto Principe, ripas
Perſonat eloquij melle caterva potens;
Muſarũ & modulantur aves lacrymabile carmen,
Dum pungit vigili cuſpide corda dolor.
Anglia nunc geminas, titulo creſcente, ſorores
Vel lacrymis Oculos nouerit eſſe ſuos.

Dum patrium Tellus medio rapit obice Solem,
Et grauis Arctoum præpedit vrna iubar,
Hic bibit Anglhaci mæſtum vectigal Ocelli,
Caſtalij laticis parua ſitella, Liber;
Eclipſin, totus quam plangere debuit Orbis,
Cernere iam lacræ Vaſe licebit aquæ.

Guliel: Griffith LL. Bacc.
Noui Coll. Socius

Parentalia IACOBO.

Chronogramma.

M D C X X V.

IaCobVS Magna BrItannIÆ reX, fIDeI propVgnator.

QVàm benè te tituli decuêre Iacobe, decusque
Signantes, vitæ curriculumque tuæ!
Quàm benè fatidicus titulus tibi convenit, vnde
Calleres rectè dinumerare dies.

Io. Tombes Aul. Magd. in Art. Mag.

HIc jacet in Tumulo *Iacobus Primus*, & ille
Primus Pacificus; Regis in arte Prior.
Proximus ad fontem Musarum, Primus amore;
Ille fide verâ Catholicâque Prior:
Proximus in divis. Primus sine sanguine victor;
(Cùm placuit) Nulli Marte Secundus erat.
Rex igitur Primus seclo memorandus ab omni,
Sitque Prior reliquis, Primus in ore meo.

Laurentius Washington Art. Bac.
Coll. Æneanasensis.

MAgnates nuper viduata Britannia raptos,
Ad tristes lacrymans est comitata rogos.
Immitesque Deos, crudeliaque Astra vocavit,
Atque Annum crebro Crimine terribilem.
Cùm subito ingenti *Iacobus* funere mersus,
Mirandi & flendi jussit adesse modum.
Nam Procerum, officij mœsto certamine, *Regi*
Struxerat in Cælum prævia turba viam.

Ioannes Gardner in Art. Incept.
Novi Coll. Soc.

Teneas ſuperbe conſciam vermis gulam,
Agnoſce tandem regias ſatur dapes,
Quæ cultui ſacrantur, & non eſui.
Iacobus hic eſt, abſtine, *Iacobus* eſt,
Qui cum relictas ſenſerit partus moras
Vagivit infans *Cæſar*, vt faceret fidem
Quod non *Mariæ* natus, at Monarchiæ
Foret æſtimandus: crederes genitum deum
Simulac Monarcham, quiſq; certè liberum
Putare mortis potuit humanæ jugo,
Æquè ac remota vulgo erat Natiuitas.
At hicfidelis vermibus præſtat dapes
Non vendicatas: obſtupent tali cibo
Fati helluones, parciuſque vrgent famem:
Ipſo cibantur tutiùs miraculo.
Eheu verendum ſentio mœſtus caput
Iam jam minutum, ſiſte, quiſquis impium
Audere morſum fortis, agnoſcas caput,
Quo vel ſepulchri doctiùs moles tumet,
Minuſque hebeſcit terra, *Iacobum* tegens;
Sapit ille pulvis, qui ſuo gaudens hero
Tumulum negat ſe, & aſſerit Palatium.
Semeſa facies Regia, & laceræ genæ
(Diſcriminandæ jam ferè vix vermibus
Antiquiori à pabulo) quod non ſuo
Horrori adaptant corpus? ut tandem miſer
Sit quod queratur, qui dolet leuiùs ſtupet,
Mala non fatetur ni ſuis addat malis,
Et cauſa luctus fiat, & lugens ſimul.

Vnde nova hæc macies? quæ Quadrageſima vera eſt
Cum carnibus Regem negans?
Num ſuperi efficerent magis ut jejunia conſtent?
Luctumque pœnitentiam?

Robertus Gomerſall ex Æde Ch.
Art. Mag.

SIqua rogo (Rex Magne) tuo sit Musa superstes,
Quæ nondum perijt, tantoq; sit æqua dolori,
Muneris illa tuis est: illum tua Gratia cultum
Imputat, Aonidas quæ tantis viribus auxit,
Vt nullo possint victæ succumbere fato.
Musa tibi debet, quód debet quanta, referre,
Quòdq; ornare valet, vel si haud valet illa referre,
Hoc quoq; *Iacobi* est, quòd debet quanta referre
Haud valeat. Nam quæ doctæ facundia Musæ
Non minor est virtute suâ? qui temporis omnes
Calluit articulos: Causásq;, & pondera rerum
Noverat, atq; hominum mentes, altósq; recessus:
Regnandíq; sciens, prævenit bella sagaci
Ingenio, rapuitq: sibi argumenta triumphi.
Hostes ille tamen superat, qui fecerit, hostes
Vt nullos habeat: magis haud habuisse decorum est,
Quàm vicisse: ducemq. prius victoria spretum
Obijcit, & rupto mercatur fœdere pacem.
Sed quid opus bello? calamo cùm sceptra tuetur,
Pontificumq; stylo disiecit fulmina solo.
Cui, quicquid Regum est, debet, sine Marte, Coronę
Vindicias, & firma sui fundamina Regni.
Cui deber pacemq;, animamq; Ecclesia, Clero
Nam præmaturum in terris dedit ille triumphum,
Cùm verò vita, vna suis virtutibus esset
Aucta nimis, fato imposuit; sibi & ipse superstes
In *Carolo* redivivus adest, juvenilis in illo
Vivit adhuc, nobisq; studet pro more beandis.

Griffinus Higgs Coll. Merton
Sac. Theol. Bacc.

VExandus Bello terras Pax deserit: hinc est,
Quòd sequeris, properans Pace *Iacobe* Mori.
Hinc est, quòd (nobis meritò ad graviora relictis)
Non placet vlteriùs Viuere Pacifico.

Iacobus Lancashyr: è Coll. Ball.

Parentalia IACOBO.

NOn flemus Angli, morimur; in Regum Pyris
Cremantur omnes; trahere cùm pereant ſolent;
Soli nec vitâ morte contenti exeunt:
Commune fatum eſt; Patria cumulatam tegit
Cum Patre & ipſum; Teſtor, heu, teſtor Rogos
Umbráſq; multùm flebiles magni Senis;
Quicunq; non his cedulam mentem feret;
Dubitatq; ſparſum funus, & mortem vagam,
Cineresq; miſtos cinere *Iacobi* omnium,
Nos videat, & Te Patria; non unquam tulit
Majora ſeretrum Spolia, non unquam feret.
Tria Regna lugent Buſta, nec lugent ſatis;
Lugent vel unum cuncta, nec lugent ſatis;
Suumq; luget triſte *Neptunum* mare,
Lugetq; nigra *Cæſarem* tellus ſuum;
Suum *Anglia* Patrem, & heu *Scotia* Natum rigat,
Suumq; *Hyberna* Regio Tutorem lavat;
Fides Patronum luget, & virtus Ducem;
Muſæq; *Phœbum*, luget & *Pallas Iouem*;
Lacrymis inundant omnia, & gemitu tonant:
Novena propriâ ſorte neglectâ cohors
Mutari in unam tota *Melpomenen* cupit,
Oxonia ſpargit imbre lacrymoſo genas,
Fluidaſque Tota Mater in guttas abit:
Furibunda Tragicos poſcit, heu neſcit modum
Dolor, nec amor agnovit: heu nunquam ſatis
Diligere potuit, flere nec poſſit ſatis.

Gervaſius Warmſtrey ex Æde
Chriſti Alumnus.

TRiſtia Monarchæ ſceptra Terreni videns
Cecidiſſe Nereus, ſortis Æquoreæ memor,
Totâ Tridentem fortiùs prenſat manu,
Lugetq; timidus fata vicini *Ionis*.

Nunc

Nunc rore falso gemmeum littus rigat
Socioſq; terræ porrigit fletus mare,
Nunc præ dolore duplicans inſaniam
Immane mugit verticis torti comis,
Scopuloſq; planctu vexat horriſono ſuos.
At vos Britanni rore genuino ſalum
Oculi ciete; ſtillet in tenebras liquor
Morti ſecundas, ſitq; iam minimo Die
Contenta Thule; Lumen ah noſtrum occidit,
Fluctu ſonanti ſolis extinctum iubar
(Quod finxit olim fucus audacis lyræ)
Nunc au e vera littus Heſperium excipit.
Cecidit *Apollo*, rexq, muſarum & virûm,
Tripodiſq; plenus! marcet, en marcet graui
Laurus Cupreſſo iuncta, nec tanto datur
Camæna buſto digna præterquam ſua.
Poſt Febris ignem *Delphico* ſontem malo
Fumant libelli, ſiccus & Calamus riget,
Nec atra Chartam gutta ſed vultum linit.
Cecidit *Apollo*, Rexq; morborum potèns,
Exaudientem vocis imperium Luem
Terrere ſolitus! Ille qui ridens moram
Herbarum & Artis, vnico tactu manus
Signita hianti penſa ſurripuit rogo,
Nomenq; morbis *Regio* fecit iugo,
Vt ille pallens, frigidus, nullus iacet!
Cui mille debent ſtaminis ſorti notam,
Auro redempti, pretia cui debent ſuis
Appenſa Iugulis, ipſe concluſus iacet
Vt gemma Inæſtimabilis in Arcâ rogi.
Hæc ora toties enſis expauit tremens,
Vt tremula tantum Febris opprimeret caput?
Ideonè Nitri flamma, quam Lemni ſpecus,
Quum Cacus, Ætna, Veſvius neſciuerint,
Pepercit Illi; lentus vt morbi calor
Raperet medullas? nunquid in proprio ſinu

Fouemus Ætnam? flamma quæ ſcelus expiet
Flammæ rebellis; quiſuè lachrimarum lacus?
En templa ſudant, vdus & fletu lapis
Fidei Columnam candidam labi gemit.
Heu nunc querelam plebis ingratæ euocat
Semota virtus, laudat abſentem dolor,
Oculoq; Turba nubilo meliùs videt.
Nunc te IACOBE plumbeo extenſum toro
Expendit omne vulgus, & prudentiam,
Pectuſq; Iuſtum, Pacis & meritum capit.
Sic quercus ingens, terror aut nemoris Leo
Dum ſtratus herbam comprimit, pauidi greges
Cingunt Cadauer, robur, & membra, & caput
Metitur oculo turba miratrix vago.
Nunc oſculantes Ruſtici Argentum, ſacri
Oris figuram talibus palpant ſonis;
Egóne meſſes integras, tutum pecus
Cras intuebor. Ibit in telum Ligo
Gladiumq; vomer, ſtabit Haſtarum ſeges
Ceteris per Arua, Mater & Proſerpinæ
Cedet feroci, Suſcipit fletum Patris
Mox & puella grandior ſingultibus,
Et ipſe damni verna nullius capax
Præter Quietem, multa conqueritur ſinu.
Taceo dolores corda qui Procerum gelant,
Taceo ſuſurros: Bella? quæ bella immineut?
Iam laxa Remoram fata proſternunt ſuam:
Ipſa Omen Vrna eſt; *Atropos* iactat minas,
Et pro Cometa funeris quaſſat Facem.
Ni ſpem malignam luderet Princeps, memor
Imago Patris, quantus vndaret Furor?
At dum IACOBI ſceptra vibrauit manus;
Veluti Moloſſus, Ipſe ſub planta pedis
Reſupinus Ore *Belligeri* ſtertit *Dei*;
Cumq; ira Martis proximos invaderet,
Tubæ gementis clangor & equorum ſonus
Nobis ſoporem ſuaſit immunis tori;

Popu-

Populoq; tantùm Fabula & Rumor fuit
Frequens ruina Gentium, ac Mundi fragor,
An hæc Adulti gesta Pacifici stupes?
En ipsa Cunas sparsit huic tenero sacras
Viridis Oliuæ frondibus Concordia;
Pacificus ipsâ sorte Nascendi puer,
Frementiumq; muta Regnorum vnio
Calcauit Arma fascijs vincto pede.
Vtq; ante visum solis exorti globum
Radij futuri terra prælibat decus;
Sic fata Britonum rexit & in Vtero latens.
Hinc destinati semper Officij tenax,
A morte plures ille seruauit colos,
Frænator Ensis Ille, quam medici manus,
Quàm temperantis Cænulæ parcus calix,
Quàm ver benignum, lenis aut animi quies.
Satis est; quiesce longe Regnorum vigil,
Quiesce pacis Fænore æterno satur:
Ascende scalam Nomine insignem tuo
IACOBVS *Domini Frater*, I, cælum occupa,
Regiâ, Pacis alteri iunctus sede.

Guil. Strode, Art. Mag: ex Æde. Ch.

EHeu deliciæ soli Britanni,
Europæ libra, Phœbus occidentis,
Et nostræ pharus insulæ IACOBVS:
Cuius sub placidi timore sceptri
Quod sudum fuit imperantis, & quæ
Parendi in populo fuit libido;
Dum pax cum Pietate fœderata
Bellonam manibus trahens revinctis
Captiuæ dominatur, & remotis
Martem iusserit incubare terris.
Quam sæpè ad meritam datus securim,
Post sævæ mala perduellionis

Morti tam placidum caput dicantis,
Cepit gratuitæ diploma vitæ?
Nullo in flumine mercibus refertæ,
Propter diffidium potentiorum
Damnantur licitæ rates rapinæ.
Non lites macerat cruore multo
Declsor gladius, sed obstrepentes
Hinc triclinia terminant querelas.
Nec fiscus bona civis innocentis
Ficto crimine surripit superbus,
Sed tutò licet esse ditiores.
Nemo littora nave destituta
Questus classibus exteris patere;
Propugnacula viua suppetebant.
Nec tantum reflui deus profundi
Vdo protegit insulam lacerto,
Intus numen erat, deusq; siccus:
Tam longæ bona pacis æstimantes
Quod ponent populi tibi trophæum?
Ridebit tua fama molle marmor,
Nanos pyramidas, & æs caducum,
Mausoliq; inopis casam sepulcri.
Ast inter tumulos iacens auitos
Quingentos simul occupabis annos.
Et qui garrulus advenam recentem
Heroas docet ambulante virgâ,
Dediscat lapides licet vetustos
Vno luxuriabit in IACOBO.

T: Lockey Æd: Chr. Art. Bacch.

REgi quod supereſt; *Quid* at ſuperſit
Cui ne Rex ſupereſt? minante fato,
Vno cum caput amputatur icta
Regnorum totidem miſer? Dolorem
Elinguem magis indices Iacendo,
Hic ſuſpiria preſſa plus ſonabant.

Quin

Quin ne quo careat iacentis vmbra,
Ne Rector maris, Insulæq; Rector
Defunctus, liquidum petat Tributum,
Solvendum est, Agili fluat rotatu,
Vt ceruant proprio natura fronte
Rorates oculos, dolore tinctos.
Hæ guttæ madidos decent ocellos,
Quos quisquis tremula rigârit vnda
Terram plenius exprimat Britannam.
In febrem qua correptus occubuit.
Quis calor hic? Viuo quorsum Rex æstuat igne?
Vritur atq; vrnam præparat ipse suam.
Non opus hîc lachrymis, mors hæc exsiccat ocellos,
Expectant siccas Præuia busta genas.

R. Heylyn Art. Mag. &
Alumnus Ædis Christi

In pestem sequentem.

POst Regis fatum, pestis succrescere cæpit;
Ehen? iam satis est; sufficit vna lues.

In mortem Principis Iusti & Pacifici.

Iustitiæ cum sint Enses insignia; Regem
Te miror Iustum, Pacificumq; simul.

In obitum Regis verno tempore.

Cùm frondes & prata solent revirescere; lapsu
Cur infælici sic IACOBE cadis?
Si tales alto procumbant vertice Cedri,
Non Ver, Autumnus verior esse potest.

In morbum.

Cum Regis fatum triplices voluêre sorores;
Quid venis flagrans æstuat igne cruor?
Ergone sunt vncti Reges, Oleove sacrati;
Vt melius possint membra perire rogo?
Erustrà lusisti, telluris viscere, sulphur;
Ætnam visceribus (Rex) geris ipse tuis.

O

O Superi? tam grande ſcelus quæ flamma piabit?
Ipſa nefas tanti conſcia flamma fuit.

Io: Milles, A: B: ex Æde Chriſti.

FEbris flamma nocens, & Damni conſcia noſtri,
Extingui madidis neſcia flamma genis,
Vnde venis flagrans Algentibus aduena terris?
Cum gelidi Boreæ quid tibi Rege fuit?
I procul in Mauros, Hiſpanaq; viſcera torre,
Quà revocat vitis, *Quà* vocat ipſa Venus;
Mox venæ noſtris areſcent fletibus hauſtæ,
Tum nobis tandem Febris amica redi.

Ed: Cr. A. B. ex Æd: Ch.

VIdit Roma (ferunt) diram inter ſydera ſtellam,
Spectantem obliquis ſceptra Britanna comis:
Qui cælo exarſit rutilanti crine Cometa,
In terram labens ignea Febris erat;
At rex febricitans inter mortalia regna,
Dum cælum aſcendit, ſtella benigna micat.

Defenſor fidei vixiſti, Maxime Regum;
Dumq; rapit febris torrida, *Martyr* eris.

Thomas Rotherham Arm: fil: natu max: ex Æde Chriſti.

VEre nouo glebas cum mitior aura reſoluit
Principis obſtruxit pectora mortis hyems.
Flemus; cur rident vernali ſidera vultu?
Lætantur tanto ſcilicet aſtra lucro.

Rob: Aſhton è Coll Lincoln: generoſus.

SCotia quem genuit, tenet Anglica terra ſepultum,
Qua Britonum Reges Pyramis alta tegit.
Fænerat in Lætho; Rex maior morte reſurgit;
Ipſos in Reges nunc ſua ſceptra gerit.

Robertus Ward Ædis Chriſti Art: Bac.

OCcidis, auſpiciis nec enim ſolennibus vtor,
Nec Phæbum Muſaſve voco: Tu ſolus Apollo
Occidis, & Tecum ter trinæ abiêre Sorores.
Quid tamen erepto dignum plorare Camænæ,
Quid viuæ potuêre? Furit laudator, iniquam
Qui timet auxeſin. Ne ceſſent fingere vatum
Quicquid habent Artes: ſolitos vbi maxima fines
Exceſſit virtus; facilem tam falſa loquentes
Inuenient, quàm vera fidem. Ne quærite Stellæ
Fatidicos crines, Mortiſue oſtenta futuræ;
Prodigium eſt, potuiſſe mori. Cui ſtruxerit Aras
Romulus agnoſco. Leuiori cedere dextræ
Non potuit; tantámq; dedit dea ſola ruinam.
Decipit Aſtrologos error: nec Marte tenebris
Æquantur luces. Quanta ô nox illa, pareſq;
Non vllos habitura dies; Sol vnicus Anglis
Occidit, heu alio non ſurrecturus Eöo.
Anglia Papiſmum ſi poſtmodo nutriet; hinc eſt,
Relliquias colet illa tuas. Tu, Diue, Iacobum,
Et Compoſtellam factura Britannia nudam eſt.

Quæ ſolita eſt Hyemem ſentire Britannia duram,
Mirata eſt Tepidos mitiùs iſſe dies:
Scilicet huic damno cauit natura, gelata
Ne poſſent lacrymis ora carere ſuis.

Martius ætatis quod ſtamina ruperit, hoc eſt;
Nimirum * Titulos oderat ille tuos.

* *Pacifici*

Guliel. Barker, Nou. Col. Soc.

QVales Hybleæ ciues, gens incola ſylvæ,
Ebria melliſluo nectare veris, apes,
Regis fata ſui plorant ſtridente ſuſurro,
Fundentes querulo murmure triſte melos.
Tales Pegaſides, tales gens Attica queſtus
Mittit flebilibus, preſſa dolore, ſonis.
His Aganippææ turgeſcunt fletibus vndæ,
Et flens hinc potam muſa refundit aquam:
Ipſe dolor nobis muſa eſt; En filia luctus
Nata eſt incomptis mœſta Elegeia comis.
Munitoſné valet Diademate vellere crines
Letiferis horrens Perſophonea minis?
Invida viuificæ paci, regemq; peroſa
Pacificum, rapuit mors inimica ſuis.
Ambitioſa tamen nobis mors tollere totum
Non valet, ingenii ſtant monumenta tui.
Nox æterna tuum potuit celare nitorem,
Si non in tenebris luxerat iſte nitor.

Ar. Williams Oriel.

QVid fletu grauidi madent ocelli,
Plebiſq; & procerum? quid audiuntur
Plangentes Academiæ dolores?
Vulgari lachrymâ rigare Regem
Immenſum ſcelus eſt, parumq; ſalſæ
Si quis diluvio parentet vndæ.
Princeps interiit, Iouis Senatum
Dignus qui decoret ſuo nitore.
Vellent imperium hoc pati Catones:
Sub regno cuperet vel ipſe Brutus

Servus

Servus viuere, ſubdituſq; Cæſar,
Iacobo moderante ſceptra regni.
Cuænam flamma vacet fabrilis? aut quæ
Ductura effigies tuas metalla
Nobis ſufficiant? decus videtur
Omninò exiguum, tibi parare
Altas Pyramides polo minantes,
Mauſolæaq;; nos nimis dolentes
Inuadat ſtupor, inq; prima ſaxa
Conuertat, tumulum vt ſtruamus abſq;
Leui marmore ſaxeo è popello.

Ed. Fulham. ex Æde Chr. alum.

PRima Numæ debent clauſum vidiſſe, IACOBO
Secula bifrontem poſteriora Deum.
Quam benè conveniunt hæc vltima ſecula primis!
Vidit præſentem terra Britanna Numam?
Vidit terra, eheu non eſt viſura! reuerſus
Ad ſuperas adiit, venerat vnde, domos.
Pande Sacerdoti ſuperûm Palatia veſtro,
Pacatas clauſit qui tibi Iane fores.

Ioan. Dennet Coll. Nou.

QVid ſua pullatæ fugientes antra Camenæ
Vndiq; circumagunt, plectraq; dura mouent?
Atq, Hippocrenen oculis turgentibus augent,
Conatę pluſquam Deucalionis aquæ?
Nempe dolet muſas dici: piget artis, & ipſa
Tempora nunc Phæbi ſola cupreſſus habet.
Nec minor in cineres populi ſtrepit vndiq; luctus:

Et quemuis ſtipat multa querela locum.
Hic ſtupet attonitus iacturæ mole, ſileteq;,
Principis vt ſtatuam dixeris eſſe ſui,
Marmoream dicas flentem, cum clamet ahenam:
Plus potuit *P*hydias, quam facit ipſe dolor?
Ille pias nimium lachrymas lugentibus omnes
Inuidet; & doleat ne ſatis ipſe, timet:
Atq; manu pectus plangens, aperire ſepulchrum
Tentat, quò Regem poſſit habere ſuum.
Iam queritur nimium nigras properaſſe ſorores,
Magnaq; iam propera prælia morte gerit.
Si *P*ylios nobis vel conuixiſſet ad annos,
Quis tanti Regis funera ſera putet.

Guil. Mayne ex Æd. Chr.

FLete novem (ſors veſtra iubet) iam flete ſorores
Fata dei, periit muſarum maximus Atlas,
Æmulus & *P*hæbo, qui maieſtate ſolutâ,
Excoluit Suadam, totumq; Helicona ſacrauit.
Non ego perdomitas gentes, Martiue ſuperbi
Bella coronatis nunquam moritura trophæis
Depoſco Cyrrham: ſatis eſt (ô muſa) togati
Arma ducis doctæq; ſacrum diadema Mineruæ
Expedias: perit (ô fatum) quo ſceptra tenente,
Hæc regio, pacis fælix, & caſſa duello
Extimuit nunquam referati limina Iani.
Detonuit quoties infeſtis gentibus irâ
Arbiter ille ſuam dum pacem diuidit orbi?
Sanguinis humani parcus per verba fidemq;
Commiſſos ſociare duces optabat, & vno

Per-

Perpetuò inſontem complecti fœdere mundum.
Vis in bella ferox, animæ quoq; prodiga virtus,
Æqua viris, atq; æqua feris. Te (maxime regum)
Eximium pectus ſtudiis, animiq; capacis
Impetus ærhereus, generoſæ conſcius artis,
Exemptum turbis, altum ſuper aſtra locarunt.
Te tua fata vocant, at non tua ſcripta peribunt,
Pr[illegible]lade quæ dextra condis, genioq: ſecundo:
Quæq; tuam (ſacræ tanta eſt reverentia muſæ)
Vſq perennabunt, Libitinæ neſcia, famam.
Debuit hoc ſaltem tibi non (fortuna) licere,
Vt pater ante diem funeſtum clauderet, eſſet
Quàm face regali thalamos adducta ſacratos
Deſponſata nurus: ſoceriq; beanda ſupremis
Auſpiciis, caperet labris non vana precantis
Oſcula: cùm claudens manus expirantis ocellos,
Sacra parentali decoraret funera planctu.

* * *

PRoh mala fatorum! cecidit Rex funere acerbo:
Heu quantum noſtri præſidii vrna tegit!
Si quid amor poſſet, ſi quid pia vota valerent,
Non foret infeſti funeris iſte dies.
Marmora non ſtatuunt tumulum tibi & æra perennem,
Aurea nec laudes prædicat vrna tuas.
Sola tibi condet Philomuſo Muſa ſepulchrum.
Par genio, fidei, par animoq; tuo.
Quod poſt ſæcla tui memores renovabit honores,
Quando aurum, quando marmora pulvis erunt.

Tho. Wilde, ex æde Chriſti.

Spectate populi, quisquis haud didicit mori,
Hoc teste discat, hic stupor mundi iacet;
Hæc alta sedes mentis, illustre hoc caput,
Prudentiæque grandius palatium
Concidit, & vltra restat illius nihil,
Nisi auferendum, nil nisi abdendum solo.
Fodite ergo tumulum, qui sit ambobus satis,
Patriæ, & IACOBO: Pompa lugubris Veni:
Iustitia *Libram*, Pax *Togam*, Spes *Anchoram*,
Et *Pileum* tum misera libertas, *sacram*
Religio *vestem*, ponite ad tumuli aggerem
Iuxta cadaver istud, vt sacras procul
Secum sub vmbras illa quæ dederat ferat.
Querimur levè nimis, tota ferales gerat
Natura cultus, luctui angusta est nimis
Humana turba! Syderum ô frequens cohors;
Extincta lux est nostra, cur nobis micat?
O tu Boöte, plaustra tantisper tua
Solitumque cursum cohibe, & in terras redi;
Vt axe funus istud attollas tuo
Cœleste funus: tuque vocalis lyra
Fidibus remissis carmen infelix sona.
Lyræque Cycne proximum in cœlo decus
Fatale tristi voce moduleris melos:
Sed quale sub Caystriæ ripæ sinu
Mæandri ad vndas morte vicina sonas,
Lateque canta: IACOBE, proh fatum, ô dolor!

Io. Hamden, ex æde Christi Alumnus.

Quod

Quod ſub fine Menſis Martij obijt, quo etiam Anglia regnum auſpicatus eſt.

DVm firmo validus IACOBVS conſtitit ævo,
Et quatit in fortes regia ſceptra Scotos;
Mars Bellatorem ſperans fore, viribus auget,
Datque novo Angligenas (bellica corda) duci.
Et (tanquam admoneat cædis, triſtiſque cruoris)
Sceptra Leonino ſumere menſe iubet:
Aſt vbi Pacificum ſenſit deceptus, in iram
Accendit ſævus pectora prompta Deus.
Anna perit, Rex langueſcit, tandemque (triumphum
Optatum ſerò Marte canente) cadit.

Quod Menſe Martio obijt, quo antè ELIZABETHA *&* ANNA *Reginæ.*

NVnc tandem armatus, pugnaxq; , *Gradive*, videris
Virum [illegible]iſti; viſque IACOBI iacet.
At tu crudelis noli iactare Trophæum;
Cupiebat ANNAM viſere, & voluit mori.

Tho. Mallory, è Coll. Novo.

QVicunque præſidere Fortunæ, Viris,
Sibiq; cupiet, fiat hic Animi tui
Hæres; videbit ſæclo inauditum Aureo.
Sed in hoc ſtupendum, mentis exemplar piæ,
En ille firmus gentis humanæ Polus,
Immotus vllo turbine, & conſtans Sibi,
Inter ſonantes Martis horrendi minas,

Qui

Qui tuta vt alta grandis imperii iuga
Servare potuit, vrnulæ nomen iacet;
Et iam perennis Pace perfruitur Tori.
Venerande Pulvis, altior certè Quies
Vix nunc soporat busta, quàm vivo fuit:
Quamvis frementi Belgia horreret sono
Vicina Tellus, Clangor immanis Tubæ
Non nos cievit, Angliæ toto ambitu
Vibravit Ensem sola Iustitiæ manus.
Plures Triumphos ipsa Pax retulit Tibi;
Et Gutta Calami, rubra quàm Gladii nota:
Astræa dixit Te Suum, & Pallas Suum.
Qui confluentes vicit huc Terræ Incolas,
Oraculumq; Pacis adeuntes sacrum,
Te novit vnum non Tibi, at Toti simùl
Vixisse Mundo: Scripta qui referat tua,
Libros profundæ Mentis, & multi Iovis;
Laurum Coronæ nectet: & calamum tuo
Sceptro maritans, sentiet Totum simùl
Te nôsse Mundum: Proximus Rex est Deo,
Sed ille longè Proximus, quisquis truces
Pacare novit Turbines, quisquis pari
Et Scire vastum & Posse metitur gradu.

Mathæus Seys, Ædis Christi.

SI tibi dent animo non impar fata sepulchrum,
Angusta est tumulo terra Britanna tuo.
Iacta licet multo genitrix sit Scoria luctu,
Tam genitum gaudet, quam periisse dolet.

Mich. Bent. ex Æde Chr.

Iam

IAm tempus proprium petit dolorem,
Quadrageſima cogit in querelas,
Et mutata docet lacerna luctum;
Quàm noſtris Lacheſis malis acuta eſt!
Dum mæſti proceres togâ nigellâ
Velantur: lachrymas mouet IACOBVS.
Si quis veſte tenus gemebat antè
Pullo nunc animo dolere pergat:
Et qui tabuit antea dolore,
Idem nunc geminet ſuas querelas.

Iohan. Berkley Æd. Ch. Alumnus.

QVodcunq; nobis ſidus inimicum fuit,
Latebit, & premetur invidiâ ſuâ;
Non ſic abibunt odia: cælorum cadit
Malignitate victus in terris deus:
At ſolis inſtar ſplendidius oritur jubar,
Tenebraſq, tremulo ſiderum vulgo facit,
Ipſumq; Phæbum luce dedecorat ſuâ.
Quàm Regis vmbra ſplendet! En quantâ face
Dominatur aſtris fulgidum cæli decus!
Caliginoſæ procul abhinc nubes eant,
Dum tendit avidos lacteâ ad ſuperos viâ:
Neq; lachrymarum per genas imbres cadant,
Siccate fontes: Impius quippè eſt dolor

Qui tàm beatos madidus in cineres fluit.
Vulgare fletus forsan, at siccus decet
Regale funus mentis attonitæ stupor.

Jo. Warren. é Coll. Wad.

Quod Rex die Solis paulò post meridiem è vita demigrauit.

ECce die Solis clausit sua lumina Phœbus
Noster, & in medio Sol cadit ille die.
Sabbata non curat mors obseruare profana,
Cuilibet esse potest ultima quęque dies.
I, numeraq; novo iam plurima Sabbata cœlo,
Æternam requiem tuque beatus habe.

In febrem quâ Rex ægrotauit.

Qui semper zelo, Febris nunc igne calescit,
Vrunturque novo viscera viva rogo,
Defensor fidei voluit nec perdere lethum,
Dum flammis Martyr Rex cupit esse suis.

*Carolus Bostocke, Æ*dis Christi Com.

IRata Pallas turbidas rixas ciet,
Satyris Camænæ sæuiunt, vano inuidas
Pro morte Phœbi carmine in Parcas ruunt.

Nugas

Nugas pias ! has vmbra talis negligit.
Genios perire, fata Seniores ſua
Pati, peractis circulis ſolennibus,
Docuit vetuſtas. Delphicam linquens domũ
Cœlum repetijt Phœbus, vt fieret Deus
Exuere Pythium voluit, nos Arcem Iouis
Quid invidemus artium auguſto patri
Crudelibus lachrymis? Agite, placidæ manus
Numinis inane corpus imponant rogo,
Cippuſq; Pacificos leuis cineres premat,
Oliva violis cincta naſcetur; procul
Sint buſtuarij, oſcinum innocuus chorus
Pæane buſtum decoret æterno, procul
Lemurum vigiliæ, cuncta quæ tenent, procul.
Fauni choreas funebres illic agant.
Nimphæ Thymelicæ, ſaltuum pulchræ Deæ,
Eccho, Diana; canticum mæſtum ſonent
Venatico murmure; IACOBVS beſtias
Aut Beſtiam premere ſolebat; hanc pio
Calamo, otio illas. Scripſit errorum necem,
Homines doceri voluit, & ceruos mori.

G. P. Magdalenenſis.

QVò fugis, vt mortẽ ſubeas? tria regna relinques?
Res jucunda, mori, Regibus eſſe poteſt?

Quæ te contineat tellus? vbi membra repones?
Accipiat cineres an leuis vrna tuos?
Est angusta nimis Regi domus, vrna, potenti;
Regia num fuerit Curia sarcophagus?
Complere en potuit viuens præsentia Regnum,
Parvus & abscondet mortua membra lapis?

Christophorus Birkhed.
Ex Æde Christi.

ANni quàm subitò fatis invertitur ordo,
Verque novum brumam vertitur in rigidã?
Ver quondã melicis modulatibus aëra complens,
Iam resonat querulis, nil nisi triste, modis.
Fatales renovat luctus mæstissima Progne,
Flebilis Halcyone est, & Philomela dolet;
Non ea Cæycem, non se Pandione nata,
Nec gemit enectum Daulias ales Itym.
Te, Te defunctum plorant (divine IACOBE)
Tu tristem Prognen Halcyonasq; facis.
Istarum accipiant cineres modulamina mæsta,
Atque habeat lacrymas vrnula sacra meas.

Matth. (*roo.* Civilista, & Sancti
Ioan. Bap. Coll Socius.

Cogor

COgor IACOBVM flere, nec credo tamen
Illum dolendum: hic aureos fecit dies
Pacatioris fæculi, & populo diù
Iam fæderato ſola Iuſtitiæ fuit
Acies timenda. Vixit intrepidè ſuâ
Pietate loricatus, & circum latus
Vigil Satelles non in Horrorem tulit
Arma, ſed in Ornamenta. Tellus hæc diu
Inuiſa Ducibus, miles & ſuetus priùs
Poſuiſſe duro ceſpiti vigilans caput,
Plumas queruntur, & nimis mollem torum.
Nec Pace tantum Temporis licuit frui,
Sed Conſcientiæ; entheus verbi ſacro
Raptu Miniſter Pacis æternæ Tubam
Ebuccinavit abſq; Martyrij metu;
Britonumq; ſedes tota Templorum ferax
Potuit vocari Civitas ingens Dei.
Nec non refulſit grande præſidium, & Decus
Cleri IACOBVS: Lumina hic Eccleſiæ
Extincta penè, & trita ſpurcorum inſcio
Pede Laicorum, tandem Honoris vivido
Reſuſcitauit fomite; vtque omnis foret
Ardens Sacerdos lampas, hic Oleum fuit.
Videte gentes, hæccine nigranti Togâ,
Hæc rore mæſto digna? Siccentur lacus

Oculi fluentes Angle, nam quisquis gemit
Adeo beatum Principem, Regno invidet.

J. Terent, Art. Bacch. ex Æde Christi.

EX quo regales IACOBI infantia cunas
Sensit, & amotis vagijt vberibus,
Sensit & insidias : vix dudum incep erat annos,
Quin morti hos tragicâ voverat arte dolus.
Præproperæ fraudes! adeo incunabula scenam
Prima ministrarent, fascia Sarcophagum?
Sic scenas posuêre; Tragœdia nulla secuta est,
Quæ dum non acta est, fabula tota fuit.
Proximus aggreditur, nec apertus, Gowrius hostis,
Nec magis ille suâ proditione valet:
Accedit que noui sceleris Iesuita malignus
Inventor, nec adhuc proditione valet.
Obstitimus sub Rege diu mortalibus ausis,
Et freti longum numine, rege, sumus:
Iam tamen occidimus, superest spes nulla salutis,
Si simul & Fatum Proditor esse velit.

Geo. Griffith, ex Æde Chr. A. B.

CAROLVS en caput est; certatim numina cœlo
Descendunt capiti tam charo dona ferentes.

Ma-

Maiestas Iovis est munus, victoria Martis,
Ingenium Pallas largitur, sceptra marina
Trado tibi Neptunus ait, dominaberis vndis.
Hæc inter, magni tremuere ad busta IACOBI;
Obstupuere simul, simul uno hæc ore loquuntur:
Quænã hæc maiestas? quænã sub marmore sancta
Canicies? Ergo virtus, diademata, sceptra
Vilescunt? ausa est oculis mors improba vultus
Aspicere intrepidis tam sacros? ausa ferire?
Quid? tandem cælos scandet, spolioq; superba
Terrestris diui superos tentabit, vt olim
Pallida terribilis captivans astra Typhæus.
His, subitò ascendunt, non ausi fidere terris.

Ri. Watts Ar. Bac. ex A. C.

Chronogramma
PatronVs fIDeI MagnVs JaCobVs obIVIt.

SOlvitur in Cineres summus Moderator astrorum,
Nos miseri madidas soluimur in lachrymas.
Atlas Musarum, fidei, pacisq; Patronus
Hoc linquens Sceptrum, iam meliora tenet.
Splendid⁹ Angligenum Sol cõdit in æquore vultũ,
Nec te nebræ nec nox vlla secuta fuit.

Nath. Terry Art. Mr. Col. Exon.

Perijt

Perijt IACOBVS! ecquis huic fato poteſt
Supereſſe vates! ecquis hic muſis locus
Abeunte Phœbo! Totus en friget Latex,
Et congelatur vnda; nec vocem tibi,
Camæna, iugulum præbet: et tanto magis
Dolitura, quanto marcet et moritur magis.
I fama, cunctas nuncia inceſtes plagas,
Lachrymas Iberi, Lachrymas Galli cites,
Dacumq; et Italum mutuum in gemitum voces.
Non hæc Britannis ſola, communis perit
Iactura mundo: perdidit Regem Anglia,
Cuncti IACOBVM: fuerat hic nobis dû
Sidus ſalubre; lucidum at mundo fuit:
Salus ſuorum magna, ſed ſecli decus.
Hæc præco dicat, imò vel tantùm ſonet,
Abiit IACOBVS! Dicet Auditor ſibi
Laudeſq; Lachrymaſq; quas vates nequit;
Hos vivus arte vicerat clarus ſuâ,
Præbetq; libri morte materiam [illegible] nov.

Ed: Radcliffe in Ar. mag. Coll. Vniverſitatis.

CVm rex ſemideus, cum ſoluitur ipſe IACOBVS;
Numina iam metuant ſimul immortalia morte:
Nam quę tam placidũ jugulare eſt auſa IACOBVM
Parca, nec illa Iovem formidatura Tonantem.

N. Sympſon Art. Bac. C. C. C.

QVi ſæua Febrilis conſumpſit corpora Feruor
Igneus, an fallor, zelus an ille fuit?
Hei mihi crudeles Parcas! IACOBE fuiſti
Defenſor Fidei, non potes eſſe Tui.

Iacobus Wither in Art. Incept. & Noui Coll. Soc.

SCeptra Britannorum Rex dum IACOBVS haberet
Aurea pacificis conceſſit tempora Muſis.
Oxoniæ fauit totidem de matribus vni
Præcipuè, æternùm manet æternumq; manebit
Regis in Oxoniam monumentum & pignus amoris.
Illum velle mori noſtras vbi fertur ad aures,
Iſidis Oxonia ad ripas gemibunda filentis,
In lachrymas reſoluta pias, ignara futuri,
Multa movens animo, ſic mœſto pectore fatur:
Ergo libet data fata ſequi, Rex optime? nec te
Fas erit affari vlterius, nec cernere? noſtri
Nil te iam miſeret? totidem miſereſce ſororum
(Anglia alit binas, vnam dat Iérna, ſuoſq;
Scotia quadruplici fæcundula matre beauit)
Quas tua mors vitam in luctu conſumere coget.
Te duce nulla meas violárunt ſchiſmata ſedes,
Templa Scholæ, Cathedræ, nullas ſenſêre ruinas.
Iamq; adoleuerunt dulces circum vbera nati.
At quæ circumſtent me deinde pericula? frendens
Hinc Monachus, latéq; furens Ieſuita minatur:
Hinc Catharista novus, quis neſcit qualia demens
Arminius figmenta ſonet? deliria iactet?
Suppliciter triſtes (quondam tua cura) Camænæ
Orant, aſpectu ne te modo ſubtrahe noſtro.

Sic fatur lachrymans, breviter rex deinde locutus;
Parce metu, longæva parens, nam CAROLVS hæres:
Nec plura effatur. Digreſſu mœſta ſupremo
Reſpondet mater: Noſtra hæc inconſulta tantum
Accipe (& extremum hoc miſeræ ſit munus alumnæ)
Carmina, natorum tibi quæ monumenta meorum
Sint, REX, & longum Oxoniæ teſtentur amorem.

Italus hoc velit; Italici caput orbis & vrbis,
Quod dudum cupiit cernere, cernit ovans.
Infælix vates! neſcis quis protegat Anglos?
Quod minimè velles cernere, cerne fremens.
Quintus * Clementem Papam inclementer abegit
CAROLVS, attendas qualia Primus aget.

Guiciar. lib. 18 Plat. in Clem. 7 Hiſt. Rō. expug. per exercit. Caroli 5. an. 1527.

Michael Roberts è Coll. Exon.
Art. Magiſt.

PRinceps non fatum paritur, quem vota perennem
Dicunt, & pietas ſuſpicit eſſe Deum:
Virtutes ſacræ contemnunt funera famæ;
Et vitam tibi mors eripiendo dedit.

E. C. è Coll. Exon. A. B.

FVmanti è patriâ peregrinus & EXVL in oris
Heu dixi quoties! Anglia tuta foret.
ACceſſi; invenio, quod Mors comitatur euntem
Quævis terra Rogos, quos lacrymetur, habet.
At Te, Rex ſapiens, cur mors inopina peremit?
Num quia præ reliquis vivere dignus eras?
Heu flexus uitæ dubios! ſi flamma vel undæ
Defuerint, miſeris morbus ut enſis erit.
Scilicet Heroûm ſic ſpirat ad alta voluntas;
Exuit Hoſpitium, dum cupit eſſe domi.

Hos

Hos gemitus, *Iacobe*, tibi mea Muſa parentat,
Quem vidiſſe ſemel, ſit doluiſſe diu.

Συμβολας ergô canebat *Iohannes Hoffman* Germaniâ-Archipalatinus in Art. Baccalaureus.

INſolita hæc rerum facies & diſcolor vnde,
Diſparileſq; modi fatorum? Effæta minatur
Extimuitne chaos natura vacatq; ruinæ?
Ex quo compoſuit morientis lumina regis,
Ingemuit mæſtum: ferali nocte ſepulta,
Deſperanſq; diem, proprium ſpeculata ſepulchrum eſt.
Regaleſq; animas in pompam funeris effert.
Iam ſenſit ſe poſſe mori & diſcordia ſparſit
Semina bellorum; Zephyri Veneriſq; benignum
Denegat afflatum: cœlum Mars ſolus adurit.
Hæc fieri quis poſſe negat? Moderator Eoæ
Occiduæq; plagæ; magnus, pax alma, Stuartus
Depoſitumq; tuum iacet. Eheu, talia paſſi
Angligenæ, tantæ nollent ſupereſſe ruinæ.
Aëreabifico languent, & funere miſto
Vrbs Auguſta cadit defuncto victima regi.
Heu methodus funeſta luis! Regni excipis ortum
Ipſa Stuartæi; et quaſi regnatura, Monarchæ
Occaſum ſequerere? Infenſum fecimus ipſi
Atq; nocens cœlum, pro nobis plectitur ille.
At vergunt iam fata, Iovis nunc ira vacauit,
Quem peſtis, regiſq; rogus, probat eſſe Tonantem
Fulmine depoſito, flammaraq; cauda Cometæ;
(Qui Germane tuis, ſic fama eſt, luxit in oris
Semper communi & regali clade piandus.)
Non tamen hæc mouêre tuos gens Anglica queſtus:

Non lugere tuum est: magni solatia fati
Sunt, Lacrymis maiora pati. Quis funera vulgi
Fleret? Lustrales animas, vmbrasq: minores?
Hoc Pestem, Regemq; decet placare, tributo.
Regibus humanum vivit genus; Vna doloris
Est spes continui, nos non cecidisse. Minentur
Vitam dii superi: tantum contagia cessent;
Nec premat ira deûm miseros, nam Viuere multum est
In luctus; satis est pœnarum. Noluit ille
Tam mitis Dominus placari morte suorum.
Occidit hic, sub quo fuerat modò concolor orbis,
Semper adorandum caput orbi, & flamine, & arâ.

M. Williams in Art. Mag. Col.
Orial. Soc.

CVr stagnant oculi rubri dolendo?
Cur misto populus rigatur imbre
Qui totam lauat insulam procellis?
Defunctum queritur dolor IACOBVM
Quem totus stupuit, quem amauit orbis.
Qui magnus faciliſq; victor, hostes
Iratosq; domans amante dextra
Bellum pace potentiore vicit.
Qui pro consilio fuit sibi ipse,
Quo tanquam ex adyto loquente, voces
Cortinam saperent Apollineme;:
Qui tam plena sacro furore scripsit
Tanquam à consiliis Deo fuisset:
Hic oracula posteris reliquit
Ad quæ confugiant futura secla,
Quæ nunquam dubio tenore fallant.

Magi

Magi ludibria hic, ineptiasq;
Mundo prodidit, & pius propheta
Tam grandis cecinit mali ruinam;
Hic secreta Libri docenda fidus
Interpres aperit, prophetiasq;
Tanquam præteritas videns revelat
Exemplum studii & patronus vnà.
Qui pro lege suis dedit seipsum,
Quem miretur adhuc honestus orbis.
Sed cur vestibus atra, & atra planctu
Luges Anglia? Non dolere Regis
Sed fatum poteris tuum; recessit
Rex inter superos ovans, piéq;
Gestit side reâ frui corona,
Mutauit diadema iam perenni
Sceptro nobilis & manente regno,
Exemplumq; iterum tuum est: doleto,
Quod fato maneas seueriori.

Rob. Beding field Mag. Art.
ex Ædc Chr.

PRimum iunxit amor, quæ dudùm iuncta dolore
Pectora, defuncti mors lachrymosa tui
Hoc iubet; id suasit pietas celebrata per orbem,
Quæ populo semper fluxit amica tuo.
O quoties, diuersa licet, vox hæc erat vna,
Viue tuo, *Cæsar*, tempore viue meo.
Et iam prærepti deplorant funera Musæ,
Quod pius, & Princeps, *& Lacedemonius*.
Dant tibi nunc artes, quos tu prius artibus annes,
Nec, quâ discupias viuere parte, peris.

Qui vel & æthereas cum iam prior ibis ad arces,
Mansura est Magni nominis vmbra tui.

T. Holt. S. T. B. C. C. C.

In obitum Iacobi primi Magnæ Britanniæ Regis θρηνωδία.

QVis modus exequiis? tandem quid fata minantur?
Rerum quóve ruet furor iste?
Clarorum heu! capitum densantur funera; menses
Ter duo vix abeunt, quibus ecce!
Quot comites, celsiq; duces, proceresq; potentes
Occubuerunt, morte perempti
Præpropera? Heroës, Britonum decora, ornamenta
Priscæ cuncti Nobilitatis.
Hæc miseri patimur taciti, (durum) atq; dolores
Altè comprimimus, nec inaneis
Fas visum in questûs animos diffundere, dum nos
Incolumi fruimur IACOBO.
" Sed fera mors pergit (nec enim satiabilis vnquam
" Ingluvies mortis) vorat vsq;
Haud membris contenta (licèt florentibus) ipsum
Sæua petit caput, eminensq;
Culmen adorta illud, quod vix mortale fuisse:
Credidimus (heu!) deiicit, atq;
Legibus humanæ sortis submittere cogit:
Non pietas, non purus ab omni
Labe animi candor, summa aut prudentia, sceptrûm
Deniq; multiplicisq; coronæ
" Profuit aut splendor. Nempe est adamantina fati
" Vis, qua figitur ipsa dierum

" Meta cuiq; hominum, quam nemo promouet, etsi
" Transiliat nihil intentatum.
Hùc igitur lachrymas, hùc quoduis flebile carmen,
Hùc gemitus, suspiria, questus
Conferte, ô quotquot Musarum auditis alumni:
Musarum quippe optimus (heu!)
Dux iacet; & Britonum Rex Maximus optimus idem:
Rex æquiq; bonoq; patronus:
Idq; Deo primùm charus, tum deinde per orbem,
Quòd latè pietasq; fidesq,
Auspiciis ductuq; suo defensa vigebat:
Floruit hinc pax optima rerum,
Lætaq; iamdudum nos sæcula vidimus: atqui
" Nil datur hoc sub sole perennans.
" Versant quæq; vices: sequitur post gaudia luctus
" Nubila vt excipiunt serenum.
Sic visum est superis, dum te (Celsissime) nobis
Præripiunt, Regemq; patremq;,
Tristeis & curas desideriumq; relinquunt te.
Non tamen hinc penitùs solamen
Exulat omne, subit nostrarum pondera rerum
CAROLVS, Augusto patre dignus
Filius Augustus, columenq; hæresq, paterni
Tum solii simul & virtutum.
Huic te Christe salus rerum obtestamur, vt adsis
Prompte, subveniasq; favore!
Imperiiq, graveis curas dignêre levare,
Cœlesti radio collustrans
Pectora, sit fidei constans adsertor, eamq,
Per populos gentesq, propaget,
Virtutem referens patriam, da pace volentes
Mitibus & frænis moderetur.

Annos

Annos fac ſuperet patrios accedat & inde,
Sed ſerò, ordinibus Deorum.

Deg. whear Hiſt. Pr. Camdenianus.

Epitaphium.

MVſarum et pacis Rex hoc iacet in monumento,
Luget Apollineum turba novena patrem.
Cui pia cura fuit ſeclo ſtabilire quietem,
Votorum ſocios non habuiſſe dolet.
Cœleſtes ſolum excipio, quos inter Amicos
Obtinet æterna cum Iove pace frui.

L. H. S.T.B.

Hipponactium Elogium Febris.

QVis territabit conſciam minis Febrem?
Aut claudicantes ſolvet in pedes iram,
Vt taliante Querqueram manu quaſſet?
Spretus Lycambes rursùs hìc Gener, tela
Stringat ſuperſtes, ſontis haud memor Sponſæ.
Pictoris iſta diginior Lues fato,
Cui guttur arctum dexteræ luit pœnas
Ementientis tetricos nimìs verè
Vultus Poëtæ. Promptus hìc opem ſpondet
Medicis, Poëtis vnicus Pater Phœbus.
Quìn iam Galeno, qui priùs dabant nomen,
In caſtra toti tranſeunt Poëtarum?
Furias Maronis, & parant truces Hydras?
Quin Archilochio commodant ſtylo vires?
Si ſortè ἀμουσος indoles refragetur,

Oeſtrum

Oestrum Hippocrenê fortius dabit metrum;
Versus; saltèm, promptiùs Furor fundet.
Tundenda vena est: teter vt fluat sanguis,
Et perforantis exeat styli iussu.
Infigite altum vulnus; vt litet famæ
Vestræ imminutæ, Morbus hic, suo tabo,
Hic Artis ingens Dedecus semel vestræ,
Quales Triumphos Arte nunc aget spreta?
Addetq; multis millibus trophæorum,
Fusum IACOBVM, Millibus parem multis?
Qui prorogare vilibus, vagis Vmbris
Fatum soletis; dura pensa Parcarum
Sopire docti pharmaco salutari;
Cur imperita nescit Ars, citos Regum
Annos morari? cur minùs senescentes
Præstat Dynastas? Invidos vel insscitos
Dicam necesse est: pressiùs loquar, Nullos;
Si sic salutis Arbiter, semel sanxit.
Nec medica Medici semper est sibi dextra;
Sed Herba vires exuit; parùm prosunt
Succi Malum fugare; Remediis fessis,
Venena superant. Ergò quod scelus Febris?
Vexare probris Pharmaca, aut opem cassam,
Casso labore quid iuvet querelarum?
Quòd si citâsset alter ad necem Morbus,
Non est, inultus quispiam vt fleat cædem.
Nam quis dolenti crimen imputet Nato,
Si, quando Patrem viderit trucidatum,
Succensèt Ensi, conscioq; Mucroni?
Et expiare funus hoc, iubet ferrum.
Non vt furorem sentiat nocens telum,

Sed quòd Parentis ipſe ſenſerit damnum.
Sic nos, IACOBO mortuo, Quiritamur,
Et deſtinamus ignibus feros Ignes,
Hoc qui Britannis invident Caput charum.
Neq; vſitato Principes putes more
Subire fatum; mortibus Monarcharum
Solenne quiddam prævio datur ritu:
Ipſum hoc perire, Regibus, ſapit pompam.
Neq; Fecialis defuit migraturo
Ex hinc IACOBO. Noluit calens Æther,
Cœlum tacere noluit ratum Funus.
Cùm Siccitatis conſcius Canis, nuper
Incendit Annum: Mundus & tulit Febrem;
In temperatâ torridam uidens Zonam
Flagrare paſſim; decoqui nimìs campos,
Cùm pro virente luridus color prata
Tinxit; Dehiſcens prodidit ſitim Tellus:
Quaſi immineret Machinæ liqueſcenti
Ardor, ſecundam Fluctibus vicem poſcens.
Præſaga nempè hæc Regii fuit Morbi
Æſtas: Cometam vidimus tamen nullum,
Cæſariemvè Syderis recens nati,
Cœlum tremendis ignibus capillantem,
Quæ nunciaret Cæſaris brevi Funus.
Viſceribus imis Regis intùs infixa
Flamma æſtuabat. Creſcit hinc gravis Luctus:
Et ſine Cometâ, ſenſimus malum grande,
Quo nil minari ſævius poſſet Ignis,
Impunè nunquam Luce qui ferit terras.
Hinc veritatem Fabulis putes natam:
Nam Microcoſmus alterum pati neſcit

Phaëthonta, Febri ſcilicèt parùm tutò
Credas habenas; artuum & medullarum
Decoctor iſte, tranſilit ſtatim fines;
Nec limitatas exerit ferox vires.
Fictum Poëtis linquimus ſuis Ætnæ
Fumans cacumen, flammeo vomens ore:
Hic viſcerales abditæ Focos Ætnæ
Ebullientes, Regium tulit pectus;
Geſtatileмq;, dixeram ferè, Lemnum.
Quis, miror, humeros prægravavit Atlantis?
Et fulminanti contulit Iovi Morbos?
Febriq; primus Numinis fidem fecit?
Hippona nempe, Pallor, & Cloacina,
Digni ſodales, cum Febre vt Chorum ducant.
Sed tale Cælum fabricat potens Roma,
Et de Sceleſtis Sanctiſex, Deus Papa.
Niliaca Templa parciùs ſcatent Monſtris;
Vbi Crocodilos, Simias, Boves, Angues,
Totamq; Libyam, ſingulis decus Fanis,
Pictam videbis: vicit hæc ferax Roma;
Tantum Deorum ſcilicet, Dearumq;
Vrbs ſepticollis conficit cateruatim,
Cœlumq; miſcet Inferis. Scelus Romæ
Virtus vocatur, & fit. Eugè Bullati
Sicariorum rancidi Greges, plenos
Stipant Catalogos; ſed tamen rubent Faſti,
Hoc eſſe ſceleris præmium, Coronari.
Et Regicidam forſitan brevi Morbum,
Inter Penates priſtinos cooptatum,
Rubrica mendax credulæ nimis plebi
Oſtendet: Illud nempè præſtitit Febris,

Quod Troglodytas credimus patraturos,
Dum ſulphuratas abderent ſpecu Mortes:
Vt igne ſaltem hoc, Hæreſin ferant plecti.
Sed mentiantur ſtrenuè Nouatores;
Rex orthodoxus Hæreſin ſapit ſanè,
Qui veſter eſſe reſpuit palàm: Flammâ
Satis probatus, quàm ſit in Fide conſtans,
Quàm Fæce veſtrâ noluit colorari.
At nos & odium triſtis efferat Fati,
Veſtriq; : quorum ſecta Parricidalis
Tales gregatim mittit è Scholâ Peſtes,
Troianus olim vt Milites Equus fudit.
Tantùm hoc calenti gratiam paret Morbo,
Quòd iam renaſcens, in locum Parentati
Phœnicis, alter prodit è rogo Phœnix.
At non furenti munus hoc damus Flammæ,
Sed prouidenti PATRIÆ damus PATRI,
Qui tàm Serenæ tradidit Facem Proli;
Atq; viduatas Filio maritauit
Repentè terras; (ſic ferè latet damnum)
Poſt Fata nobis excubans, ſoporatus,
Et poſt Sepulchrum, Poſteris adhuc præſens.

In Symbolum IACOBI, *Beati Pacifici.*

Nunc eſt Pacificus ſatis Beatus,
Et completa videt Propheta verax;
Dum nil ſollicitat, nec inquietat,
Nil paci in ſpeciem repugnat vltrà.
Non bellum foris, aut domi tumultus,
Verè Alcedonium moleſtat Ævum.

Iani

Iani clausa domus bifrontis intus,
Nec retrò scelus aspicit, nec ante
Horret congeniti fori Tribunal.
Cessat lucta ferox, dirempta nocte,
Quam Pax certa manet, Soporq; longus:
Hæc pugnam vetat amplius foveri;
Dum nusquam Caro Spiritum remordet,
Nec vno pariter tumultuantur
Sinu, bini Homines, vetus, novusq;
Sed iam Stoica prorsus ἀπάθεια.
Nil præter placidam Serenitatem
Affert, lætitiasq; non fugaces.
Hæc est terra Salem, sinusq; pacis,
Et * Rex ille Salem, Deusq; pacis.
Pace Pacificum beat IACOBVM.

Stuartus.

Nominis hæc ratio est, rationem reddere vitæ;
Hoc iam supremo Funere munus obit.

De Morbis Fatalibus IACOBI *&* ANNÆ.

Confecit Febris IACOBVM; Intercus at ANNAM
Humor; diuisit Morbus, at vnit amor.
Dissimiles aditus mortis, successus at idem:
Vnaq; diuersum meta coronat iter.
Scilicet in Cœlum, per Aquas, per scanditur Ignes;
Et fit ad Empyrium Culmen vterq; gradus.
Diluvia Hydropis fugis, aut incendia Febris,

Cùm sit post Cineres Naufragiumq; salus?
I nunc, & disce à Morbis, quid denotet olim
Flammeus Eliæ currus, & Arca Noæ.

De Iisdem.

Sensimus à binis Elementis damna Britanni,
Nobile par nobis abstulit Ignis, Aqua.
Ecce salutares tamen Vndas sensimus, Ignes
Vidimus elusos, innocuasq; Faces.
Non classis Lunata, nec atri Pulveris ictus
Nitratus, poterant dissociare Fidem.

Iohannes King Præbend. Eccles. Chr.

In mortem Serenissimi Regis ac Domini sui benignissimi IACOBI.

Dum Christianus morte percussus tuâ
Stupescit Orbis, Quid reluctantes iuuat
Mulcere fælix arte peruersâ malum?
Cur non ab istâ clade productus stupor
Inventionis organum fessæ ligat?
Nec cuncta similis membra Lethargus tenet,
Qui gloriosum Gentis inuasit Caput?
Desiste quisquis in characteras velis
Formare curam, & luctui vocem dare
Nimis erudito. Non eget linguâ dolor,
Qui se fatetur maximè quando silet.
Non est decorus iste, nec gratus labor,
In lachrymante chartulâ Fatum queri;
Aut ordinato soluere in rythmo genas.
Cum Verba & Artem, & omnè transcendat Metrum
Mortalis ista Prosa, IACOBVS EVIT.

Epita-

Epitaphium.

Ne tritam crucies Poëta Musam,
Vt possis Epigramma Luctuosum
Ad Manes Domini litare. Nulla
Vexent artifices metalla; Nullis
Cæsæ vulneribus gemant Fodinæ;
Altæ Pyramides vt erigantur,
Ac surgant Monimenta *Rege* digna.
Vis nostris *Epitaphium* ruinis
Æquatum? Cineres hoc in benignos
Conscribe Elogium. *Viator, Istâ*
Iacet Pacificus IACOBVS vrnâ,
Pace, quam dederat, potitus. Et si
Columnam Statuam vè fabricabis
Petrâ Marmoreâ perenniorem,
Dic tantùm, *CAROLVS* PATRI SVPERSTES.

Henricus King Seruus & Sacellanus.

IMpar IACOBO *Musa*, quid nomen sacrum
Fœdas minori carmine? Ereptum velis
Si flere dignè, publico obstupeas malo:
Nam tanto iniquum est, posse laudari, viro.
Cuius sacratum pectus, & plenum *Deo*,
Densisq, canæ nubibus prudentiæ
Venerandum, & alti, nemini scrutabiles,
Animi recessus, & dolis mentem parem
Domi colebat quisq: metuebat foris.
Cui militarem, & masculam facundiam
Comitia, & Aulæ, & plena testantur fora:
Illoq, leges ore gaudebant loqui.

Quem

Quem ſæpè *Galli*, ſæpè quem *Allobroges*, *Ligur*,
Venetuſq́, bello, & pace, et ingenio potens,
Et *Belga*, memet conſcia optabant ſuum,
Britonum invidentes tam acre iudicium ſolo.
Cuius per orbem erat fama maior fide,
Minorq, vero. merita cui animia nocent:
Credere futura ſecula [redacted] audebant parum
Quod hic mereri ſeculo audebat ſuo.

Nath. Brent, Cuſtos Col. Mert.

NE parvos magnoſuè, vnum configite Regem,
Trux Aramita iubet bellum geſturus Achabo?
Scilicet vnius ſpes ſola ſaluſq, ſaluti
Incumbit populi, ſpiratq, in pectore Regis
Regnum ipſum: vitamq; animamq; exinde reſumit?
Cætera nam vano laniamus vulnere membra,
Exciſo capite, vltrò illo pereunte peribunt.
Sic vnum iam vulnus erat miſeros ſatis Anglos
Perdere, cumq; ſuo Duce condonare ſepulchro.
Si ſolum vnius capitis compage, miſella
Membra ligarentur, vel tota in ſimplice vita
Penderet malè tuta ſalus: tunc Angla IACOBI
Senſiſſet gens fata Ducis, tunc qui modò Regem
Plangimus, eſſemus lugendi, atq; ipſe, cadauer
Pullatus: ſed diuino gens noſtra fauore
Facta biceps, primi haud capitis diſpendia ſentit:
Succeditq; caput capiti, CAROLVSQ; IACOBO:
Immo IACOBVS CAROLVS! nam nil erit vnquam
Cur periiſſe putem, CAROLO viuente, IACOBVM.

P. H. S. T. D. Coll. Linc. Rect.

Ne

In Febrem Regicidam.

HEu, eheu, ſtulti vox non credenda popelli,
Quæ *Febrem* Regis medicinâ vere benignam
Aſſeris! Heu Regi nimium crudelis, & arte
Archiatrôn major *Febris*. Quem vincere nulla
Arma, nec occultæ potuêrunt fallere technæ
Prudentem Regum (proh Fata immitia!) *Regem*
Inſidioſa tulit *Febris*, dum ſæpè per horas
Blanda videbatur, cæcos enutrijt ignes,
Dumq; remittebat, vires attraxit, & intùs
Materiam flammæ ſovit magis illa, magiſq;,
Callidus vtq; hoſtis, quos Marte evincere neſcit,
Arte minùs cautos fallit, fraudeſq; ſubornat.
Lurida ſic *Febris* venas depaſta calentes
Pharmaca *Doctorum* luſit, *Regemq́* peremit.
Quem ſacræ deflent *Muſæ*, *Pax* alma, *Themiſq́*,
Et tota in lacrymas diffuſa *Britannia*, luget.
Sed ſpes in *Carolo Muſarum* læta ſereno,
Ille dabit *Pacem* terris, & jura *Britannis*.

Character Aſtronomicus.

BIs ſex atq; decem totos regnauerat annos
Iacobus, verno tempore ſtella minax
Saturni fulſit regali *Corde-Leonis*,
Heu obijt noſter *Regius* ille *Leo*.

Ioh. Baiubridge Med. D. Aſtron.
Profeſſor SAVILIANVS.

ALme parens, (namq; hoc potiùs te nomine fas ſit
Dicere quod pietas dictat, amorq; jubet.)
Qui ſceptrum in noſtris tenuiſti mentibus, inq;
Pectoribus poteras eſſe Monarcha magis.
Cui parêre fuit prudenter velle, ſuumq;
Iuvrò cogi non prohibere bonum.

Sic ratio Angligenûm, sic mens ruit sola fuisti;
Ars tua nostra salus, nostrum erat imperium.
Hæc vel in extremo versat tè cura tumultu,
Et tibi jam cessans vivere, noster eras.
Iam penitùs totos morbus depaverat artus,
Sollicitat dum te publica membra magis.
Negligitur proprium communi corpore nondum
Desertò, tangit te magis illa salus.
Hoc animâ informas postremâ, ægroq tuisq:
Languenti fatis æger eras medicus.
Ite agite ô Reges, hæc ad spectacula densi,
Hic noster *moriens* cernite quantus erat.
Discite sic puluis fieri; & succedere *busto*,
Vt *solio*, & reges, morte vetante, mori.
Nos gemitu vero, & proprium quo quisq; parentem,
Prosequimur; fuerat sanctior ille pater:
Non quales celebrant vulgaria funera reges,
Queis lacrymas, solùm publica damna trahant.
Hunc salvi & nullo luctum instigante periclo,
Lugemus, quo sit simplicior pietas.
Nam ne isto pereat demersa Britannia fato,
Plenè effecerunt & *Deus* & *Carolus*.

Guil. Iuxon LL. Doct. & Coll. D.
Iohannis Baptistæ Præses.

ILle inuictus erat, nec lumine dignus, ocellos
Iustitiæ quisquis noluit esse suos!
Scilicet amisso diuino Principe, virtus
(Heu superest virtus si modo) quæq; dolet.
Ac sic occlusis lacrymarum fontibus, illi
Non erit, effleri debuit unde, dolor.

Cùm fremerent totâ quondam fera Prælia Terrâ,
Astræa in placidum cesserat alma Polum:
At nunc Ætheriæ succumbens litibus Aulæ,

Cæles-

Cælestis ſocium, vult ſibi Virgo dari.
Senſit, & attouitum Mundum turbante Gradiuo,
Dilectam Astræam Rex comitatus, erit.

Poſſumus (heu!) *Iuris* verè jam dicere *Corpus*:
Namq: *Anima* in Cælum Menſq; *Iacobus* abit.

Ric. Zouch LL. Doctor, & Regius
Profeſſor Iuris Civilis.

Rex Pacificus.

PAcificus titulo, re, Magne *Iacobe*, beatos
Efficis, & linquis nos quoq; pace Tuâ.

Iuſtus.

Te juſtum Servi Precantes, Populuſq; Britannus,
Conſilium Regni, Regnaq; trina ſonant,

Doctus.

Te referunt Tua ſcripta inter miracula Regum;
Non Rex à *Shelomo* doctior ullus erat.

Pius.

Rex pius inſtaurat Templum, cultumq; repurgat
Divinum; curat Biblia pura fluant.

Benignus.

Te Benefactorem ſenſêre Academia multi;
Theologus, Medicus, Iuridicuſq; Patrem.
Pacificus, Iuſtus, Doctus, Pius, atque Benignus,
Marmor quæ ſuperant dat monumenta ſui.

Tho. Clayton Med. Prof. Reg.
Coll. Pembr. Mag.

PRo triplicis regni triplici fulgore Tri-unus
Eſt (*Iacobe*) tibi magna corona Deus.
Et, quæ Cæſareo radiabant vertice gemmæ,
Lucent æthereo ſydera fixa polo:
Sic eſt nacta ſuo pro Rege Britannia numen,
Miſta dehinc lacrymis thura cremate focis.

Credite me vobis fœlicem recitare Sybillæ,
Iacobus fœlix mortuus astra colit.
Pacificum vitâ qui non post fata *Beatum*
Dixerit, indignus pace Deoque stupet.

Augustus placidâ compôstus pace quiescit,
Nam vitæ mortem convenit esse parem.

Io. Wall S. Th. Doct.
ex Æde Christi.

h

SIstas viator; quò pedem temerè vehis?
Fortasse non vltra est datum:
Terrarum Apollo, qui vacillanti huic globo
Et pacis, & belli arbiter
IACOBVS, ecce mutus, elinguis iacet;
Cor, lingua mundi qui fuit:
Erravit ille rupe Tarpeiâ sedens
(In sceptra præceps involans)
Qui regna mundi fraude, fulminibus rapit,
(Solus Monarcha vt creditur)
Nam quid IACOBVS? tale nil: placida manu
Sic trina sceptra rexerat;
Vt ab orbe toto Numen elapsum polo
Credatur, & mundi Arbiter;
Quid? quod superbum Romuli, haud Petrigenus,
(Non talis illi spiritus)
Sed sic repressit insolens Papæ caput
Dextro IACOBVS numine,
Vt iam ruinæ proximus iaceat miser
Fastigiato vertice.
Pandora certè; cuius immensos sinus
Dum dij, deæque impleuerint,
Inane reddunt omne virtutis penu,
Nudasq; linquunt Gratias.

Et

Et nisi IACOBI filius CAROLVS, patrem,
Et ore qui fert, menteq;,
Hæc damna nobis iam resarsisset, salus
Prorsus periret Brittonum.
Animata rursus, (mente non nouâ tamen)
(Nam in Carolo viuit pater)
Lætare, gaude, (quodq; sit faustum precor)
Fælix triumphes Insula.
Quid si *Iacobi* truncus exanimis jacet:
Vt esca diris vermibus:
Invasit anima, (jamq; *Pythagoras* sapit)
Sublime pectus *Caroli*.
Quid mors lucrata est? ecce dum ἀκρασιαν studet:
Regnum Britannum linquere,
Invita forsan, (capita sed tribuit duo)
Sic fit nocendo mitior)
Nam nunc *Iacobus* regnat, & *Carolus* simul
(Vnita vis est fortior)
Imago, *Carolus*, cor, jecur, cerebrum Patris,
Ipse & paremis spiritus:
In quem *Iacobus* κρίσια, & imperij sacra
Fudit peritus artifex;
Vt quasi regendo fessus, (hoc pactum puto)
Sceptrum resignat filio:
Ergo euge *Carole*, patris Imperio datus,
Natusq;, (par enim est stylus)
Virtute Patrem sequere, (non dubium est genus)
(At qui nec illud; quæritur.)
Refers utroq;, quodq; jam utriq; est honos,
Vsvit Iacobus Carolo.

Tho. Iles Sac; Theol. Doct. Aulæ
Cervinæ Principalis.

CEnotaphium non est quod hic, hospes, vides,
Nec quod madentibus se adirivult genis;
Nec in favillas pulveris pytij rogo,
Quem plena Papæ struxerat demens cohors,
Ierat *Iacobus* ante fatalem diem:
Sed nec *Rutheni* perfidus Rege m furor
Jugulârat hospitem impio illectum dolo.
Nec Colchis artibus nefandis in vada
Scopulosque cum socia tori reducem egerat.
Elapsus inferni, maris, terræ malis,
In pace soler, artifex pacis suâ,
Suique *Caroli* superstitis in sinu,
Deum precatus antè non voto irrito
Ecclesiæ quæ cogitârat adhuc bona
Corpus sepulchro liquit integrum & senex.

Mirêre ad cælum quarè non seriùs irer,
Qui populo in terris numinis instar erat.
In terris cum Pace moras traxisse juvabat:
Nunc libuit, populo bella petente, mori.

Legantem nobis etiam mentire *Iacobum*,
Mentite *Regis* præsulem.
Scribito sacrificum lecto morienris aliptem
Admotum, & ex frusto Deum.
Scribe & apostatica morientis voce negatam,
(Nam dignum & oris hoc tui est)
Quam puer imbiberat, quam scriptis, legibus, armis
Defenderat semper fidem.
Vel rumpare licet: Tamen hoc & saxa loquentur,
Fidei hic situs defensor est.

Rob. Pinck Novi Coll. Custos.

Pacificum.

INscribant alij suis sepulchris
Bellorum Exuvias, Cruoris amnes,

Cap-

Captivas miſeraſq; Nationes:
Vt *Magni* titulo ſuperbientes:
Occidant populos, & inquietent,
Magnus Pacifico eſt minor IACOBO.
Incidas tumulo, *Hîc iacet, quietis*
Author qui ſibi ſuiſq;:
At ſi mirificos velis Triumphos,
Nullis vulneribus, nec enſe partos;
IACOBI repetas ſacrum volumen,
En Romam ſpoliatam, & Antichriſtum.

Menſa IACOBI.

Haud ignota loquor, licet ævo ignota priori,
Cum Rex diſcubuit, menſa Cathedra fuit:
Paſcebat magis adſtantes non pane, ſed Arte;
Fercula ſumebat, ſed meliora dabat.
Quæſtio prima fuit, quid diâ volumina narrent,
Vt ſaturent mentem; Cura ſecunda dapis.
Curia facta ſchola eſt, cum iam migraſſet in Aulam
Doctrinæ Genius, Deliciæq; ſcholæ.
Quando Ænigma novum Doctum vexaverat orbem,
Hîc nodus noſtro Cæſare dignus erat.
Expecto ſimilem, cum forte Platonicus annus
Venerit.

Samuel. Fell S.T.P. Eccleſ.
Chriſti Præb.

QVod nomen? quæ nos gemitûs laudúmq; laceſſit
Larga ſeges? IACOBVS abeſt: In funere tanto
Quis non ingenium, quis non deſperet ocellos
Poſſe ſatis? Iam diſpenſet licet Anglia luctus,
Partem & quiſq; ſuam ploret, queis vnica reſtat
Flere dies, illis menſis non ſufficit vnus.
Accreſcet cum ætate dolor, firmatus & annis
Maior erit fietq; olim præſentior iſte
Venturis meritòq; Senes ante acta loquentur.

Eia

Parentalia IACOBO.

Eia agedum ſuui repetant te mente Nepotes
Dum ſimiles fieri cupiunt, & agone decoro
Decertant, qui's regnandi perfectiot arte
Accedat tibi proximiùs; dùm tu omnibus vnus
Exemplar luces, proponeris atq; Tabella,
Vnde animam effigiare queant, & ducere more
Qualis Te Ille (Tui melior qui ſpirat imago)
CAROLVS expreſſit fæliciùs: Ille paterni
Imperijq; animiq; hæres, qui non ſinet vnquam
IACOBVM, ſimili regnans virtute, perire.

Sampſon Price S. T. P. è Coll: Exon.

QVid increpamus Numina? At ſcelus noſtrum
Regem interêmit; Dumq; flere noſipſos
Puduit, IACOBVM flemus; Illius lethum
Fit pœna noſtra: Quod q; Gens ſumus contra
Cœlum prophana, totq; proditores, Rex
Regum miſellis abſcidit caput nobis.
Neq; obſtupeſcat Orbis Emicans nullo
Cœlum Cometâ; ſeculi ſui ſplendor,
(Et mihi perenni lumine occidens) *Dorſet*,
Clariſſimus *Lenox* vterq; , *Sou. hampton*,
Belfaſt, *Hamilton*, præſciuſq; *Nottingham*,
Vnius anni damna, Regiæ cladis
Omen dedêre. An non timenda mors eſſet
Regis vbi magnates fuêre portenta.

Rich: *Corbett* S. T. D. Ædis
Chriſti Decanus.

SI mihi Papali licuiſſet more tonare,
Tempora quàm tua (Mars) fulmine concuterem?
Non ſatis eſt inſtar truculenti exire, leones
Quin tecum noſtros in tua buſta trahas.
An num fælicem qui ver non nouerit vnum,
Quã *flos* ipſe Anni flore oriente cadat.

Sam: *Rad.* Coll: Ænei-Naſ: Prin:

NE quid in humanis fidum tutumve putemus,
Exemplo (Rex magne) tuo, caſuq; docemur:
Eheu quàm multos de te præſumpſimus annos?
Eheu quam longam placido ſub Principe pacem
Polliciti nobis? ſed ſpes & vota fefellit
Mortifera, & nulli parcens lethalis arundo.
Non te maieſtas regni, ſceptrumq; verendum,
Non pietas, non pacis amor, ſtudiumq; tuorum,
Non animi variæ dotes, pectuſq; fluentis
Cæleſtis ſophiæ rigium, diuinaq; virtus,
Non dulces linguæ Veneris, Suadæq; medulla,
Fa a'i poterant a morbo & morte tueri.
Heu IACOBE cadis violento ſaucius ictu
Europæ quondam ſplendor, ſyduſq; coruſcum,
Deliciæ Britonum, flos mundi, gloria Regum:
Sed nil flere iuuat: facta eſt divina voluntas,
Et lacrymas (Rex) ipſe vetas meliore petitus
Lucis regno: terras neq; deſeris ipſas,
Æternum tua ſcripta leget, tua facta loquetur
Poſteritas, vitamq; dabit tibi poſthuma Proles.

Io. Parkhurſt Mag. S.T.D. Coll: Bac.

ALta in pace omnes ſic edormiuimus annos,
Vt non percepto fluxerit hora pede.
Nec iam conſuetum facile eſt dediſcere nomen,
Et erit ubat noto in murmure lingua libens;
Corrigit & lapſas, inter ſuſpiria, voces,
Atq; hoc errare in Nomine poſſe, dolet.
Ah quantas poteras hîc exegiſſe Calendas,
Et tamen inuidiâ mortis obire pari.
Rex iuſtus moriens properat nimis, iſta nec vllâ
Excuſet fatum funera cantie.
Inſenio Auguſtus Romæ immaturus obibat,
Calligula in minimo tempore Neſtor erat.

Dan: Price S. T. P. Decanus
Hereford: è Coll; Exon:

FVnus, & Imperium capiat: vibrare ſepultus
Inuitus vinclis Attica ſceptra poteſt.
Nempe dat Authori Tumulus famamq; fidemque;
Scripta vocat Textum, lecta valere iubet.
Regia *Iacobi* ſacros ſic Pagina faſces
Vendicat: inde ſcholas, Regna futura, petit.
Imperet hinc Cathedris Regum Doctiſſimus: æquâ
Sic mors, tum Tumulum, tum Diadema dedit.

Richardus Steward I. L. D.
Coll. O. A. Socius.

HEu quoties fatum noſtris imponit ocellis?
Vt Britonum planctu triſtior annus eat?
Dum proceres obiêre prius, rex ipſe ſequutus,
Et cecidit noſtro lumine ſtella *Iacob*.
Aſt ea non cecidit, potuit cecidiſſe videri
Atq; oritur ſphæræ conſpicienda novæ.
Princeps non moritur victus, tantum occidit ille,
Surget, & occaſu gloria maior erit.

Rich. Aſtley Cuſt: Coll:
Omn. Anim.

Concluſio ad Lectorem.

SI Lector malè curioſe quæras
Quâ Muſâ genióve *lugeamus*,
Poſtquam vita Britannica, vnicuſq;
Noſtri carminis artifex receſſit:
Præſto eſt quod regerat Liber roganti.
Nôrit, non ſubitò perire corpus,
Quánquam ipſo capite ante diminutum,
Atq; efflâſſe animam ſimul videret.
Eſt quædam mora palpitantis oris,
Quâ vitam quaſi poſthumam reponat.
Tunc ægrè ſatis vltimum tremorem,
Senſimq; & ſaliente membra niſu
Exhalant; animæq; tranſeuntis
Ceu veſtigia poſtea innoteſcunt.
Sic luctatur adhuc velut cadauer
Truncuſq, imperij Britannici, ſic
Muſarum mutilatus ordo languet,
Et tantùm veterem evaporat æſtum.
Sed tandem calor inditus recedit,
Pectus deſinit Entheum; Camæna
Cantûs explicit, vſq; dumnouelli
Rurſum Numinis incaleſcat æſtu.

IO. PRIDEAVX
Vice-Canc. Oxon.

OXONIENSIS ACADEMIAE PARENTALIA.

SACRATISSIMÆ MEMORIÆ
potentissimi Monarchæ IACOBI, Magnæ
BRITANNIAE, FRANCIAE &
HIBERNIAE Regis, Fidei Orthodoxæ
defensoris celeberrimi, &c. Dicata.

OXONIÆ,
Excudebant *Iohannes Lichfield, & Guilielmus Turner.* *Anno Dom.* 1625.

ML 116.25.10*

HARVARD COLLEGE
NOV 6 1920
LIBRARY

J. J. Lowell fund

AD POTENTISSIMVM CAROLVM, *Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regem*, &c.

QVę *dolor* & *pietas*, volitantis ad astra *parentis*
Impendāt tumulo, (summe *Monarcha*) damus.
Nullæ hîc ambages, aut pictæ pompa querelæ:
Sufficit ad *fractos* vilis avena *modos*.
Nil dixisse pudet, nimium timor amputat; omnes
Hoc cupimus tantùm, vt carmina *grata* fluant.
Grata *patri*, & *Nato* qui iam moderatur habenas,
Nec dedignatur *patris* obire vices.
Non expectamus placidos *in Funere* vultus,
Nubibus obductus *Cynthius* ipse latet.
Non abigat saltèm tua nos *Clementia* Tristes,
Vt constet *Musis* iam superesse *patrem*.

IN OBITVM REGIS IACOBI.

ERgone Tu tandē (Regum Doctiſsime) terras
Deſeris attonitas? ergo tria Regna relinquis,
Vt doleant Dominū tot pectora fida relictum?
Pròh ſuperi! Quid Fata parant? ſi flamina Regum
Tam tenui pendent filo, quid turba Minorum
Expectet, cùm mors ita ſceptra ligonibus æquet?
Sed ſubolet quid mens tacito ſub pectore verſet
Præſcia Venturi, Martiſq; inimica procellis.
Senſerat Europam ſubito flagrare tumultu
Pacificus, Nec fræna pati, nèc ferre monentem
Neſtora ſi vincat, vel non Solomone Minorem,

Ingemit

Ingemit, & quoniam (dixit) mea vota *valere*
Non video ulteriùs, ſed quilibet urget *ad* arma,
Aſcendam quò pace *fruar, nec* ſanguine *canos*
Commaculare libet. Sit CAROLVS *vltor* Eliſæ,
Nec ferat Exilio ſpretos *languere* Nepotes.
Sic fatus, placidè obdormit, *Nos flemus Ademptum,*
Sub quo tot gratis *celebrauimus otia* luſtris.

Sereniſſimæ Majeſtatis veſtræ

Seruus & Profeſſor

Humillimus:

IO. PRIDEAVX,

Vniverſitatis Oxonienſis

Procancellarius.

IN OBITVM REGIS IACOBI.

SI nisi tot *meritis*, & tanto *Principe* digna
Carmina nemo daret Carmina nemo daret.
Sed quia *Phœbus* abest, & flent *sine lumine* musæ,
Heu *Genus & species cogitur ire pedes.*
Æternum stupeat, qui iam tacet, esse *poetam*
Me miserum interea cur *tua Fata* dabunt?
Scilicet vt *Famulus* per te tot Honoribus *auctus*,
Incipiat posthac esse *poëta Tuus.*

Robertus Dormer, Baro de
Wing è Coll. Exon.

Cvm Rex vsta graui sentiret viscera febre,
Tingebat gèlido sæpe liquore manus:
Vndam fata sui Regis plorâsse putares,
Dum lapsa est tremulâ plurima gutta manu.
Mox febre exutus, torpet sub frigore lethi;
Nunc lacrymæ tepido flumine membra lavant.

Henricus Percy, filius Henrici
Comitis North. Ex. Æde Ch

ANglia, IACOBO lacrymarum solue tributum,
Atq; exundet aquis insula mersa tuis:
Deliciæ periêre tuæ; Flos decidit: hortus
Quæ fueras, tellus nunc inamæna iaces.
Quàm sterilis, quàm nunc infælix Anglia! nobis
Patria iam non es Terra, sed Exilium.
Vita brevis: Longum Deus, & par luctibus ævum
Det mihi; nam flendus Rex q; Paterque meus.
Hæc dico malesanus ego; sed tempore fausto
Et Patriam reddet CAROLVS, atq; Patrem.

Carolus Howard Miles, filiu
Caroli Howard Comitis
Nottinghamiæ

PRæclusit Fontes *Helicon*, Moriente *Jacobo*,
Nec *solito* fluxit *murmure*, vt ante, latex:
Phœbus adest, *Musasq*; vocat; stant vndiq; flentes,
Et subitò *lachrymis* intumuêre *vada*.
CAROLVS *Accedit*, *Nihil* & *mutabitis*, inquit,
En vobis posthâc ipse *Iacobus* ero.

Iohannes Robarts Baronis de *Truro*
Filius Vnicus, è Coll. Exon.

TRistem Melpomene lyram capesse,
Vos Musæ querulo canetis ore
Lugubres Elegos; sequentur omnes,
Et plebs, & proceres, nemusque, & arua,
Et quæcunque facit IACOBVS *orba.*
Te (ô quàm Te memorem!) nimis calore
Feruentem potuit cremare febris?
Dii! quisnam hosce piabit ignis ignes?
Quæ restat Medicis medelæ famæ,
Si Reges quoque mors rapit potentes?
Iam Febris *Medicæ vocetur Artis*
Probrum; *iudice (si placet) Galeno.*

Chronogramma sumptum è Virgilio, 6°. Æneid.
An. D. quo occubuit denotans 1625.

QVIs te, PaLInuVre, DeorVM
ErIpVIt Longè nobIs?

SI Mauors, inimica Dei cognouimus arma:
Sin Pallas rapuit, ht quia grata erat.
(Mars inimicus erat, placidam quia fouit oluã;
Quòd tempsit Martem, Pallas amica fuit.)
Nescimus Mauorsne fuit, Pallasne, Vel vtris;
Nouimus hoc, Anglos lumine egere suo.

Errâstis Medici; Tegem non corporis humor
Confecit, aut febris torrida flamma cremat.
Sed discors ignis quo nunc Europa laborat,
Quo nisi pacato, viuere non voluit.

Nathan. Fenis *filius Vice-Comitis*
Say & Seale, & Noui Coll: Socius.

Die IACOBE, Tuâ quot Reges claudimus vrnâ.
Hîc iacet, è Priſcis quiſquis in Ore virũ eſt:
In Terris Ptolomæus eras; Alphonſus in Aſtris;
Auguſtus ſceptris, verſibus Ipſe Maro.
Vel Maro, vel nemo celebret tot Funera; flendũ eſt:
Qui dolet in numeris, non ſatis Ille dolet.

Lud. Morgan E. A.F. Coll. Ieſ.

Dominicâ LÆTARE illucente deceſſit IACOBVS *Rex Magnæ Britanniæ.*

IAcobvs ſemper vixit pius & popularis,
Vulgares ritus, cæleſtia jura tenebat
Vivens & moriens. Atq; hoc Rex Carole penſas
Lætus Te Domino concredidit ipſe quieſcens
In Domino; Sicſic jam Te pater optimus ornat,
Et quod apud Dominum poſuit diadema, reſume
Rex hodie: In Domino Lætare & ponito luctus,
(Ipſa dies Domini LÆTARE auroraq, ſuadent)
Tam mortis triſtes quam noctis pelle tenebras.

R. Kettell *S.T.D. Coll. S. Trinit. Præſes.*

SI quis ab extremâ foret inviolabilis horâ,
Si quis Parcarum triſte retardet opus:
Tu poteras, tu dignus eras, Rex magne, perenni
Turbine volventis ducere fila coli.
Ingenio quid enim tanto, quid acumine ſummo
Dignius, æternùm quò ſupereſſet, erat?
O vtinam nullo potuiſſes funere tolli,
Vivere Neſtoreos digne, Iacobe, dies.
Cur pietas fatis non obſtitit? ah, toties cur
Sævam non tenuit Parca rogata manum?
O ſpes fallaces! Triſtes cohibere querelas
Quis potis eſt, lacrymas quiſve tenere pias,
Cùm videat, quantam, Regum doctiſſime, cladem
Morte tuâ infælix terra Britanna ferat?
At Deus ecce repentè malis ſolamina tantis
Exhibet, atq; animo nos jubet eſſe bono;

Pacifico nobis, qui fecit, Principe adempto;
Sit succeſſori, pax geminata, novo.

SEBASTIANVS BENEFIELD S.T.D.
& Profeſſor Publicus.

De Martio, menſe peremptorio, ſed & benigno.

IDem ille, ille idem Menſis, qui elifit ELIZAM,
Suſtulit & vitam, ſumme IACOBE, Tuam;
Qui fidei veracis & impenetrabile Scutum,
Et Scutica infeſtæ Relligionis eras.
O mihi poſt omnes Martî memorande Sodales,
Qui perimis Sexûs par vtriuſq; Decus.
Immò, immò, ante omnes Martî celebrande Sodales,
Qui rapis HANC, rapis HVNC; ſed ſuper aſtra rapis:
Terreni ut tandem exuuo Diademate Regni,
Aureolam in Regno geſtet vterq; Novo.
HANC rapis, HVNC reddis: rapis HVNC; & reddis EIDEM
(Non ditione modò) conditione Parem.
CAROLVS is PRIMVS, nulli pietate ſecundus,
Deliciæ Regni, maxima cura Dei.
QVEM Regum Rex ipſe regat, Sceptrumq; ſecundet,
Fæcunderq; Thorum, multiplicetq; Genus.

IO. RAWLINSON *Aulæ Sti*
Edmundi Principalis.

QVid (*Lacheſis*) fatale paras, populiſq; minaris?
Non ſimplex meditata nefas. Timor unus & horror
Occupat attonitas gentes, unoq; ſub ictu
Stat fatum Europæ; cujus pax omnis in illo
Vixerit, & moritur, tanto ſibi numine dempto.
Nam cui tanta quies irarum? parcior vſus
Sanguinis humani? Sub quo ſine militis vſu,
Pace fruebamur (regno gaudente) Britanni.
Te quoq; ne videas venturi vulnera belli,

Cre-

Credibile eſt tenebris oculos clauiſſe ſupremis.
Aſt nimium crudelis eras, mitiſſime Regum,
Sic voluiſſe mori ſubitò; dum maximus ægro
Auxiliator ades mundo, miſeriſq; levamen.
Debuit hoc ſaltem (cui cætera quæq; licerent)
Non licuiſſe mori. Quiſnam hæc in funera miſſos
Caſtiget fletus? pietas priuata coëgit
Me lacrymas, IACOBE, tuis libare ſepulchris
Luctibus æternis. Sed quid tua funera triſtes
Flemus in occaſu? Tu matutinus ab ortu
In CAROLO ſurgens, aliuſq; & naſceris idem.

T. ANTAN *Præſes* C.C.C.

COmmuni pietate tuos Academia manes,
Et noſtri propriâ condoluêre lares.
Aula eſt *Regalis* [a] Regum cura alma duorum,
Contulit hic cenſum; quod magis ille refert.
Structura hæc fuerat ſine te ſub paupere tecto
Inter florentes, nomen inane, domus.
Et quantò majus lapſos reparare, IACOBI
Tanto fata mouent nos propiore metu.
Spes minor hinc iterum ſurgentes cernere muros,
Teſtanturq; ſuum rudera noſtra metum.

IO. TOLSON *Sac. Theol. Doct. Coll. Oriel. Præpoſit.*

[a] *Ex fund. Ed. 2di inſtaur. Iac.*

CArmina qui ſcribit cedro vel marmore digna,
Sit Rex, ſit doctus, ſitq; poëta licet:
Nulla tamen tumulo facit hic quæ digna IACOBI,
Ipſe ſibi tumulus, ſunt monumenta libri:
Ipſe ſuum condit carmen, ſibi marmora ſtruxit
Legibus, ingenio, pace, & amore pio.

IOSVA AISGIL *S. Theol. Profeſſor.* C.C.C. *Socius.*

QVi modò ad inuidiam fælices, ecce repentè
Cogimur ad lacrymas turba togata nouas.
Nam veluti quaſſata ſuo fundamine tecta,
Aut capite amiſſo membra ſoluta ruunt:
Sic moriente, ſimul moritur ſpes noſtra, IACOBO;
Et fugit, amiſſo principe, noſtra ſalus.
Scilicet is ſolus miſeris ſolatia Muſis
Præbuit, & noſtri ſpes fuit vna Chori.
Quod ſupereſt igitur (ſiquid pia carmina poſſunt)
Decantata Elegis fama perennis erit;
Sæcula defunctum mirentur vt vltima Regem,
Sæcula cui Regem nulla tulêre parem.

GVIL. SMYTH S.T.D. Coll.
Wad. Guardianus.

In obitum IACOBI *M. Br. Fr. & Hib. Regis clementiſſimi, febri ſæviſſima quaſſati, & è terreſtri Regno ad Cæleſte per fidem Chriſti & pœnitentiam commigrantis, Carmen funebre.*

COncordes ſtabili qui iunxit pace Britannos;
Reges Chriſticolas monitis ſociavit amicis:
Quaſſatas terræ hic cupiens aptare columnas
Europæ, tantam dum molem ſuſtinet vnus
Pacificus, *quatitur febri* fortiſſimus Heros,
Doctrina, ingenio, pietate excelſior omni
Regnante in terris; abſit mens invida famæ
Defuncti Patris, ſequimur dum funus honore,
Plangimus & tanto nos orbos Sydere fauſto:
Quo radiante ſuo luſtravit lumine gentem
Deſuper Omnipotens noſtram Pater; atq; rigauit
Rore ſalutifero. Sed *quaſſus* num perit ille?
Et gens in tenebris, tantum cui lumen ademptum?
Non perit: & noſtras nondum nox opperit oras.

Non

Non perit; In terris Chriſto, regnante Iehova,
Qui ſuberat fidus, ſceptro, calamoque perennis,
Defenſor fidei, quam Sanctus Spiritus ore
Edocuit Vatum quot ſunt ab origine mundi.
Non perit: è terris ſublatus lumine Cæli
Qui gaudet; Regni nec-dum ſpoliatur honore:
Cum Chriſto & Sanctis qui regnat ſede beatus
Æterna: morientem & pœnitet Anti-Chriſtum
Quod non vaſtâſſet, quodq; omnibus ora profanis
Non obturâſſet, Sacri quo Numinis, atque
Nominis Æterni Regis teneantur honore.

ROB. BARCROFT, S *Th. Doct.*
& Socius C. C. C.

NVllâ ſcribimus obſtetrice muſâ,
Nec verſus damus adiuvante Phœbo.
Muſæ cura vice eſt, locóq; Phœbi
Succedit miſeris dolor Poëtis.
Ergo carmina noſtra ſi requiras,
Sunt ſuſpiria, lacyrmæque, & alti
Singultus, gemituſq;. nam decere
Tales non aliud Poema muſas:
Nec tales aliæ decere muſæ
Poſſunt exequias, vbi vrna claudit
Qui muſis pater eſſe: qui Poëſis
Subiectum ſolet eſſe dignioris.

DAN. EASTCOT *Coll: Wad. Socius, almæ*
Academiæ Procurator.

Academia.

QVales coniuge mortuo
Agrippina tulit triſtis in vrnulâ,

Vltrà prodiga Romuli,
Vel ſacrata nimis funera Cæſarum,
O dulces cineres! Mihi
Quis votum inuideat tam *modicum* & *pium*?

Ad CAROLVM *Regem.*

CLaudite jam riuos, lacry marum flumen apertum eſt,
Nec ſatis Oxonio tot maduêre genæ;
O Numen mortale, genas tu projice panem
Haſce ſuper madidas, & * *Salomonis eris.*

* *Eccleſiaſt. cap. 11°. v. 1°. tranſlat. vet.*

RICHARDVS HILL, *Almæ Academiæ Procurat.*

In tumulum IACOBI *Regis.*

QVis iacet hîc? Rex IACOBVS; Quænam agmina mœſtè
Circumſtant tumulum (Diue IACOBE) tuum?
Pax, Muſæ, Charites, Clementia. At ille ſenex quis?
Europæ Genius. Quæ tamen hæc mulier?
Nympha Britanna. Gemunt omnes; Quæ cauſa dolendi?
Noſter honos, columen, delicium occubuit.
Longùm ergò pax alma Vale: lugete Camænæ,
IACOBVS Veſtro eſt mortuus exitio.
Æternùmq; gemant Britones: Iam pace relictâ,
Veſtram Europęi quærite perniciem.

Rob. Burton Sac: Theol: Bacch: ex Æde Chri.

AD flendam Regis mortem dum prouoco Muſam,
(Iuſtior & fletûs cauſa ſubeſſe nequit.)
Illa mihi paucos differrem ſuaſit in annos;
Quippe meum nondum ſentio vulnus, ait.
Tum demum lacrymis veris plorabo, carendo
Cum didici me orbam præſidio eſſe meo.

T: T: Iohannenſ. S. T. B.

Parentalia IACOBO.

In vitam & obitum duorum Sereniſſimorum Principum Octavij Auguſti Cæſaris, & IACOBI Magnæ Britanniæ Regis recens defuncti carmen Παραλληλον.

REttulit *Auguſtum* victu, fatoq;, IACOBVS;
Ambo pares vitâ, funere & ambo pares:
[a] Totum pax miſſa eſt, *Auguſto* Rege, per orbem,
Cinxit IACOBI laurus opaca caput.
[b] Idem erat *Auguſto* Princeps, idemq; ſupremus;
Quiq; dies Regnum, Funus & iſte tulit:
Regna IACOBVS adit, poſt multos deniq; ſoles,
Tertia lux nondum præterit, atq; cadit.
[c] *Auguſtum* Divis poſt mortem aſcribier altis,
Ac cælum iurans ſcandere Prætor ait:
Iamq; IACOBAEO clareſcit calle IACOBVS,
Atq; inter Sanctos cælica regna tenet.

Io. HVLL *SS. Theol. B. Magd.*

[a] *Vbiq; cuncta, atq; continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio. Flor. lib. 4. c. 12.*

[b] *Idem dies accepti quondam imperij Princeps, & vitæ ſupremus. Tacit. lib. 1. Annal.*

[c] *Nec defuit vir prætorius, qui ſe effigiem cremati eunti in cælum ſe vidiſſe iuraret. Suet. lib. 2. cap. 100.*

CVm mare, cùm tellus, convexaq; regia cæli,
Magna etiam extremis debentur ſidera fatis:
Nos nil miramur grandæ vum occumbere Regem.
Res ea mira magis, Régem, virtute potentem,
Cælicoliſq; parem, terrenâ in fæce, tot annos,
Pace animi inconcuſſâ, & maieſtate ſerenâ,
Compoſitum ſemperq; ſuum potuiſſe morari.
Non illum vrgebat diro fulgore cometes,
Non illum fervor populorum in bella ciebat.
Sed poſtquam nullâ potuit ratione domare
Chriſtiadum inſanos in bella horrenda furores,
Ætatis iuſſæ patiens, patienſq; peractæ,
Ad pacem tutam ſe in cælica regna recepit.

Ricardus Iames S. Theologiæ Bac.
Socius C.C.C. mœrens ſcripſit.

In obitum ſereniſſimi Regis Iacobi, *verè* Iacobi, *verè luctatoris.*

QViſquis in incertam fidens deſcendit arenam,
Certat quò poſſit cingere fronde caput.
Quem meritò flemus, teneris luctator ab annis,
Solus in ætatis vere IACOBVS erat.
Quas nôſſe haud poteras novêre crepundia lites!
Inter Presbyterûm, Pontificumq; choros.
Te ſtatuunt Regem nutricis ab vbere raptum:
Invidet hanc famam gens inimica tibi.
Hæc vult Pontificem, non vult veſanior; at vult
In grege Papatum quivis habere ſuo.
Promptũ erat iſta tibi ſuperare, videndo, tacendo:
Litibus his pandunt viſcera, teq; docent.
Hinc noſti in terris ſummũ caput, at caput unum:
Ah fuge Cerberum, centimanumq; caput.
Inter diſcordes animos maturior ætas
Flexit, vt ad dictum conticuêre tuum.
Extulit ecce duos poſthæc *Ruthwenius* angues,
Edentes rictu ſibila rauca ſuo.
Armatum vicit luctator inermis athletam;
Fidus dum infidum tranſfodit enſe latus.
Dum præceps toto ruit agmine, cæditur alter:
Myſtica nec ſanant carmina Ditis eum.
Hinc Acheron frendens, omnem dum commovet Hydram
Struxit inauditum ſed ſine luce dolum.
Major vt excreſcit tibi gloria, major Averni eſt
Invidia, & virus concitat omne ſuum.
Nec tibi perniciem ſatagens meditarier, omnem
Vno ictu (horrendum!) vult violare domum.
Dum tu cum Muſis luctare, ænigmata ſolvens;
Dumq; ſtupent ſenſum hic Oedipus unus habet.
Hinc patet haud fruſtra te progenuiſſe parentes;
Teq; Deum in terris ſubſtituiſſe Deum.
Hinc te ſchiſmatici vexant; hinc aurea turba

Sacrifi-

Sacrificûm tendunt retia; vterq; malè.
Diſcindis gryphos idem Rex, atq; Sacerdos,
Quæq; latent alijs ſolus aperta facis.
Victa jacet Papæ ira tuâ ſub vindice pennâ,
Subq; iſto mundum deſipuiſſe mones.
Ore, manu, pennâ, morbo, cùm denique morte
Luctâris, vincis; fit moriendo ſalus:
Nam quia terrenum nôſti hoc diadema, caducum,
Æternum vt caperes hæc tibi lucta fuit.

M. P. Ioannenſis. S.T.B.

REgis ad extremum Pax & Bellona ſepulchrũ
Vtraq; dum juſtis libat amara Rogis:
Pax tibi Ius debet, Ius tu (Rex Inclyte) paci,
Pax ait, ac merito jure vocêre meus;
Relligio, paciſq; comes cultiſſima virtus
Læta Iacobęos eſt comitata Dies.
De ſpolijs (invicte) tuis Bellona Triumphos
Nulla tulit: Sceptris Palma tuis pietas.
Ne minuas Bellona meos reſpondet honores;
Non auxit vires enſe, ſed arte meas:
Conſilio magè quam gladio ſtat Bellica virtus,
Hoc me ſuſtinuit Nobilis enſe ſenex.
De noſtro certatis, ait ſacra umbra IACOBI,
Funere? ſat juſtum debui utriſq; locum:
Delicias mirata tuas mea regna putantur,
Indulſiſſe tuis (Pax) nimis vſq; jocis:
Iam quia laſcivo nimium tegis vlcera lecto,
Turgida dum nimio ſanguine vena ſcatet:
Mars tibi ſit Medicus, qui venis enſe reſectis
Hanc tibi ſponte ferat quam ſibi gratus opem:
Non me Bella ſenem quærunt, te (CAROLE) fortẽ
Acriùs expectant arma tremenda virum.

N. Carpenter S.T.B.
Coll. Exon. Socius.

קינה על מות יעקב
מלך בריטניאה גדולה

מות הגדול מלך שלום
בארץ הוא שר נדיב תם
הוא מלחמה תמיד שבה
שלום אהב ריבת שנה
ברבר פיו גם תחת רגליו
שרת עמו וילכר תחתיו
כן יצרי מלכותו : ורה
בגוים רבים יד הדה
על אביונים לרפא להם
אבוי אבד לא יראו הם
מלכם עוד בארץ חיים
כי נא מלך בשמים.

Thomas Richardſon Art. Mag.
Coll. Reg. Socius.

PAuliſper O ſi maneat extremus dies,
Tantumne vobis fata? nondum baſia
Mundus Parenti conſecrauit ultima.
Priuatus errat veſte plebeiâ dolor,
Trabeamq; nondum non paratus induit
Regíſve pompam. Subita graſſatur manus
Pijs ruinæ præuenitq; nænijs.
Sine debitis periret exequiis, quaſi
Mundus ſuoq; careret orbis funere.
Expirat ingens patris alti machina,
Baſiſq; naturæ gemiſcens corruit.
Salſus fit amnis, Inſulam lacrymæ fricant

Si

Si quid vides, hoc eſt cadaver Angliæ.
Reliquit arctum corpus anima, neſcius
Princeps catenæ non ligatur carcere.
Pax, pax IACOBO, cui lat eſſet vel ſua
Non mutuata ſolus adderet Deus.
Cineres triumphent, ſeligat cælo locum;
Rex eſt & umbra, ſequitur imperiũ Iovem.
Licet ſepultus adhuc IACOBVS Cæſar eſt.
Regio ſepulchrum eſt; Rex facit tumbam thronum
Tumulumq; regnum; tanti & vrna publica eſt.
Soliumq; ſi non inveniret, poneret.
Veneranda ſurgit en corona civium
Flexoq; adorat poplite infernalium.
Mirantur umbrarum ſuſurrans tenuium
Caterva: canus confitetur Æacus
Se juſtiorem: jam tribunal deſerit,
Virgamq; ponit & minantem purpuram:
Dum vulgus interim & levis plebs convenit
Lemurumq; populus; forſan & Britannici
Hic ſpiritus vmbræq; conterraneæ
Fato ſolutum rurſus acciperent jugum.
Placet perire, citò ſequamur ſubditi
Modò cum IACOBO tam ſerenum eſt emori.

Antonius Fawkner Art. Mag. Coll. Ieſu.

IACOBVS STEVVARTVS:

Anagr.

ITA CVRSV SVO BEATVS.

SI qui *Pacifici* ſint (Magne IACOBE) *Beati*;
Sat mihi ſit, *curſum* poſſe *beare* Tuum.

Reſp. Regis per Proſopopeïam.

Cùm curſum jam *Pace*, *Fide*, Pietate, peregi;
Reſtat *Juſtitia* ſola *Corona* meæ.

Iob. Dod Art. Mag. & Coll. Exon. Socius.

In IACOBI *Regis obitum mense Martio defuncti.*

PEr quem parta quies populis, & copia rerum,
Ac suus ingenuis artibus auctus honor:
In falces, Duce quo, galeæ conflantur & enses;
Religio, Pietas, quo Duce, vera vigent;
Pacificum(noua dum meditatur bella) [a] *Parentem*
Martigenæ [b] *Nato* cedere fata jubent.
Quàm malè (*Mars*) clauso reseraueris ostia *Iano*,
Nôrunt præsentes; quàm benè, posteritas.

G. Scobble Art: Mag. & Coll. Exon. Socius.

[a] *Iacobum.*
[b] *Carolo, Regi Martij 28° renunciato.*

SÆva dies quæ te vetuit consistere terris,
Rex bone, quas clades, te pereunte, dedit!
Carolus ecce patrem desiderat, Anglia Regem,
Musæ patronum, præsidiumq; suum.
Sacra suum columen cecidisse Ecclesia mœret,
Et defensorem postulat orba fides.
Perdidit infælix Academja numen amicum:
Libriſq; Authorem deflet abesse tuis.
Perdidit exemplar Regum fortuna verendum:
Quo decuit mores composuisse suos.
Cumq; tuâ intereant bona tanta in morte, Iacobe;
Vt tecum pereant carmina nostra, leue est.

G. H. Ioannensis. Art. Mag:

VIx thalamum intrârat Regis Mors, nuncia ab vmbris
Iam filum fatale colo neuisse Sorores;
Regis ab amplexu cum PAX exterrita surgit,
Et roseas lacerata genas, abjecit olivam:
Et medio plangens sic interfata dolore est;
Me miseram! quis thura meas laturus in aras?

Aut,

Aut, te defuncto, nobis mactabit honores?
Tu mea delubra decorasti limina sertis;
Sæpè manu multis cumulans altaria donis
Iam piget esse Deam: quantâ formidine solvor!
Heu Ianum timeo (cui, te vivente, IACOBE,
Non templum, sed Carcer erat) ne vincula capto
Discutiat collo, fo ibusq; repagula solvens,
Quà data porta ruat, mundumq; immisceat armis.
Dixit; & innexis hærens cervice lacertis,
Te sequar, exclamat, poteris nec morte revelli,
Et cum pacificus vixisti, pace recumbes;
Me comitem capies, vnâ tumulabimur vrnâ.
Et moriturà fuit; cum Divę CAROLVS adstans
Dilapsam tollit; resovensq; amplexibus artus,
Pone metum, dixit: nunquam tibi causa doloris
Noster erit Mavors; Diuam te poscimus omnes:
Téq; tegam Clypeo: nam pro te mouimus arma.
His dictis, animo divæ cessêre dolores,
Lætaq; pacificâ CAROLVM donauit olivâ.

R. Heg. A. M. C. C. C.

Nasci ex rege, decus; cito regna capescere maius:
Summus at hic honor est, sceptra tenere diu.
Hęc vno videas ter fausto cuncta IACOBO:
Rege satus, citò Rex, Rex fuit atq; diu.
Sexaginta annos propè natus sceptra resignat,
Huicq; recens nato prima corona data est.
Quin ita (quod caput est) terrenos gessit honores,
Vt cui, cælestis sola corona, scopus:
Ergo annis gravis, & regnis satiatus abundè
Incælum ascendit, Rex vbi semper erit.

Quòd Mense Martio obiit.

IACOBVM tulit, atq; hunc Martius abstulit Anglis.
Martis an est mensis, Mortis an ensis atrox?

Mortis, ais: sed eum dum transtulit, extulit ista:
Pro fragili æternum nam diadema tenet.
Mars dedit hunc nobis, at Mors sibi reddidit ipsum;
Sic Mors haud illi seva, sed Angligenis.
Pace Anglos reperit, servauit, pace reliquit:
Credibile est illum sic voluisse mori.

Τίπτε μέλαιν' Ἀγγλοὺς ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε,
Οὕνεκ' ἀνάκτορα νῦν ἐκ Ἰάκωβον ἔχει.
Ἴσχεθε θρήνων, ὁδ' ἀνῆλθε γὰρ οὐλυμπόνδε
Μὴν δάμαρ ἡ Ἄννη οὐ ἀνέμιμνε λίαν.
Παῖδι λίπε στεφάνους Καρόλῳ καὶ σκῆπτρα κρατίστῳ,
Οψ' ἔσποι ὦναξ σοῖς γονέεσσιν ἐκεῖ.

Ed. Silvester Art. Mag: Coll: Ball.

AGite, perempti, vos, quibus domini pias
Movêre, famuli, lacrymas, absistite;
Sinitéq; vt anno quos in vno perdidit
Ipsa ad sepulchra Regis & procerum fleat
Induta cultus lugubres *Britannia*,
Numerare clades inde & incipiat suas.
Primus doloris author, & dux agminis
Multâ vehendus laude Dux *Richmondiæ*
E Regis aulâ regiam cœli petit.
Post hunc, benignus ille fautor artium
Dorcestriensis exit è vitâ Comes.
Virtute fratri similis, & tactus loci
Fratrisq; amore Dux *Lenoxius* fugit.
Cum Filio Heros, peregrè, *Southamptonius*
Vitæ suorum consulens, perdit suam.
Referre longum est fata *Nottinghamij*
Qui cœlo *Iberos* militante reppulit;
Belfastiiq́, nænias & funera,
Hiberniæ qui tertiò Prorex fuit;
Constantiáq; clari *Hamiltoni* necem

Qui

Qui charus *Anglis* pariter, & *Scotis* obiit
Heu quanta strages! pars quota Patricij ordinis
Petiêre tumulos concatenatim suos!
Deerat nefandis *Anglia* vitijs adhuc
Gravius flagellum, deerat & qui tristibus
Compleret omnem luctibus *Britanniam*.
Is, cui corona imposita redimivit comas,
Tantis acervis addidit coronidem:
Dignus suorum, qui præirent, agmine,
Lætúsq; stratum carpsit ad cœlos iter.
Delicta populi sic bonus Princeps luit:
Sic, quando *Boreæ* fræna laxat *Æolus*
(Manente frutice, stantibus cucurbitis)
Quercus, vel alta pinus in terram cadit:
Sic, quando currunt vilia in pastus vagos
Armenta, cervix maxima in vulnus patet.
Hæc fistat omne quicquid imminet mali
Ruina, quicquid vitia nostri temporis
Pendere merentur hac luatur victimâ:
Placare cùm quæ Numen insensum valet
Non alia possit melior aut major dari.

Alex. Gil Art. Mag.
è Coll. Trinit.

DIgnos laude viros arcent à morte camænæ,
Quis verò has prohibet te moriente mori?

Ed. Bentley ex Aul. Magd.

FLere fælicem invidia est. Quid ergo
Nil nisi has vmbras, cineres, sepulchra?
Aut quid ignauo sequitur IACOBI
Funera questu?
Ille tandem Nectare viuit; atq;
Iam suo fit posthumus ipse fato.

Eccp

Ecce ſpirantes; crocos in vrnâ, &
Perpetuum ver.
Quin ſit hoc gratâ pietate Sacrum
Henricus 7. Regio fixum tumulo: *Liganit*
Septimus fœlice *Roſa* catenâ, ac
Regna IACOBVS.
Hoc, viator, ſat. Tamen ipſe buſtum
Sparge vino, pone roſis amœnis
Balſama, & ſacros cineres odoro
Perlue Nardo.

Tho. Eyton Coll. Or. Commenſal. Equ. Aurati fil.

QVos ſola mors honeſtat, atq; vnæ favor,
Vitæ loquacem reprimens infamiam,
Fecit beatos, his licet tacito frui,
Nec inquieto funere. At Reges ſolent
Tumultuari mortui, & cineres ſacri
Spernunt quietis vile privilegium;
Defuncti eundem gloriæ expectant ſtylum
Quem poſſidebant viui, & imperium ſuum
Nec terminari morte, nec minui volunt.
Adhuc IACOBVS regnat, & ſceptri decus
Rex in ſepulcro, ſicut in cunis, gerit.
Ergo cadauer Regium cultu pari,
Pietate eâdem proſequi, ac Regem, decet,
Et vota facere etiam ſepulto numini.
Verùm IACOBVS, noſter & genius fuit
Et lingua; ſic ſic perijt eloquentia
Ruinâ eâdem, quâ IACOBVS occidit:
Nec quiſpiam lugebit hoc fatum ſatis,
Ni quem, IACOBE, genius animabit tuus.
At eloquetur vrna, &, vt viuos beet,
Sibi creabit poſthumum præconium,
Nam noſtra ſtupuit Muſa: nos hoc interim

In-

Inauſpicato gratulamur carmini,
Stupente linguâ, quod licet digitis loqui.

A. B. Coll. Magd. Bacc. fac: Art.

שיר פשוט ומרבע *ſive, Ode, Dimetris*
& longis ſyllabis tota conſtans.

אמר ארון בספר אמרת
נפש היא תמות החטאת:
כי אם קרם בגלל פשע
דור מלך רבר רשע
נתן על העם ישראל
העם שלא נאז תאל:
אף עתה מבלתי נקות
העם המית אל מלחמות
יעקב המלך ברטוניס:
מלך הטוב מרישוניס:
מלך שרב יש לקח בו
השם ביניגו כל מאדו
אמת האל גם אמונה
הנקרשה הנרשנה:
מלך בנתיבותיו חסיל
שלום שיש רודף תמיד:
אכן תמיד האל צדיק:
מלך הטוב מרע הרחיק
וחלד הזה אף ממלכה
נתן שלא תהיה קצה:
ממנו על חטאתינו
נשא רוח האמינו:

Ὡς μάλα, Πιερίδων μελδίοι, ψεύσαντο παλαιοὶ,
Σώματος εὐαθενίας, πῶντα νόσων τε κρατεῖν;
Ἦν γὰρ ἀληθεύσαν, πῶς οὐ θεράποντ' ἐφύλαξας
Τὸν σὸν, παῖς μούσας τὸν Βασιλῆα φίλον;
Τίς δυνάμιν μετέπιφτα τὴν αἰδώσεται, εἰδὼς
Τεθνᾶν' ὅς ζῶν σοι τόσσον ὄνειαρ ἔην;
Οὐ μὴν, οὐ τέχνης ἐλλείψας, ἀλλ' ἀγαναχτῶν,
Καὶ φθονέων, Βασιλεῖ πότμον ἐφῆκε πικρόν.
Παντοδαπῆς γὰρ ἰδὼν παιδείας ἀκρὸ βεβαίως,
Χ' αὐτῷ τὰς μούσας πρὸς μιν ἐποτατέφ·
Κεῖνον ἀοιδοπόλοις, πολυίδμοσι τ' ἄθλα φέρεσχεῖν
Ἀνδρασὶ, ἀφμενίως κ' ἐδέξ' ἀμφιέμενος·
Τῷ μετέχειν ἰδίας δόξης πιὰ χωόμενος κὴρ,
Καὶ πρὶ πρηγτείων κίνδυνον ὅττα νοῶν·
Τόξον ἀνελκύσας βαρὺν ἠκοντίζεν ὀϊστὸν,
Ὅς, θανατηφόρος ὠὶ, ςῆθος ἀνακτος ἔδυ.
Ζεὺς δ' εἰδὼς ἀρχοῖο φίλω μέγα, αἶπὰ χολωθεὶς,
Αὐτὸν ἐν ἀθανάτοις ἵδρυεν ἄϊφα δόμοις.
Εὖγε μέγας, Παιάν, βυλῆς μακαρίζε σεαυτόν·
Οὐ ζῶντ' ἐζήλας, σεμνὸ θεῶν ἐσὶ θαλών.

ERgòne, qui vultu toties, & fronte serenâ
Exanimes vitæ reddidit Aonidas;
Qui toties lachrymas Musarum in gaudia vertit,
Præsentem & miseris præstitit æquus opem;
Nunc tristes elegos poscit, tristemq; Camænis
Materiem præbet, flebilis ipse, suis?

Sed

Sed quid nunc muſæ numeros, quid carmina, mentis
In Dominum gratæ ceu monumenta, parant;
Quas non cum tanto ſimul expiraſſe patrono,
Quas tali Domino ſit ſupereſſe nefas?
Verùm hæc multorum fuerit non vltima Regum
In pretio doctos, laus, habuiſſe viros.
Aſt hic, quæ Reges alij mirantur in illis,
Regibus ipſe aliis mirus, adeptus erat.
Gratulor interea ætati, IACOBE, futuræ,
Pignora doctrinæ tot ſupereſſe tuæ;
Quæ non vlla dies queat, aut abolere vetuſtas,
Omnis quæ ſtupeat lector, & omnis amet:
Tanta irriſiſſet noſtri miracula ſæcli
Poſteritas, tantis teſtibus abſq; foret.
Te Muſæ regnante nouâ, Rex inclite, ſede,
Quæ fitâ, veteres deſeruere locos.
Tunc Parnaſſus eis Helicónque, palatia Regis,
Vitaq; tunc illis Aulica grata fuit.
Non illi placuère dapes, non fercula, verbis
Quæ non condiret docta corona ſuis.
Hæc illi ſemper ſacræ de flore cohortis
Adſtitit, hæc illum cinxit vbique comes.
Verùm alias inter tot laudes, omnibus vna
Anteſtat, veræ relligionis amor.
Quas ob eam curas adijt, quantoſq; labores,
Cum foret hoſtilis tam numeroſa manus?
Iſta vetuſtatis *ficta* fallacibus armis
In *veram* bellum pars ſine fine gerit.
Sunt alij laruâ freti pietatis, & vmbrâ,
Antiquam cupiunt qui perijſſe fidem;
Queis nihil eſt ſanctum, quod priſcum, ſolaq; pondus,
Quæ noua ſunt, puræ relligionis habent.
O per quem tantum columen deceſſit & vmbo
Vero, fac Vero turba inimica ruat.

Mer. Caſaubonus ex Æde
Chriſti Mag. Art.

QVid non effrænis tentat dolor? ecce Poëta
Prodit, qui numeros neſcit inire leues,
Cùm dolor exundet, ſtylus exundaret, vt inde
Non niſi de pleno gurgite fundat aquas.
Nè tamen hoc fatale malum per verba leuarem
Arctiùs anguſto Carmine fata premunt.
At vos, queis fas eſt animum ſatiare ſoluto
Sermone, & querulos ingeminare ſonos,
Conclamate omnes, vt totus perluat orbis
Imbre genas, totus nam perit orbis honos.
Ille vnus mundum ſociali fœdere iunxit,
Ex illo terris tuta mariq; quies:
Et cum pannoſæ paſſim iacuêre Camænæ,
Ille vnus Muſis Phæbus, & Author erat.
In gemitus properandum, omnis ſuſpiria fundat
Ordo, ætas; ingens Lemma IACOBVS adeſt.

Ric: Gardner ex Æde
Chriſti Art: Mag:

QVi lachrymis ſe poſſe ſatis plorare IACOBVM
Cogitat, & tanto plangere digna rogo:
Non reputat, quàm largum opus eſt vndare doloris
Amnem, & quantillus riuulus eſt oculi.
Carminibus qui poſſe ſatis laudare IACOBVM
Cogitat, & tanto pangere digna Deo:
Non reputat, quantum humani faſtigia ſenſus
Vicerit: & noſtrum, quàm nihil ingenium eſt!

Tho. Blakiſton è Coll:
Reg. in art: Mag.

MDCXXV.

ReX obIIt pIVs ACaDeMIæ benIgnVs.

REX obIIt pIVs, at pietas fundata manebit,
Quam ſervat Carolus Maximus atq; pius.

Rex

Rexq; benIgnVs erat, sunt multi(ACADEMIA) testes,
Nobiscum semper sed benefacta manent.

Theoph Poe, Doctoris Med:
filius è Coll: Pembr:

SOlis ad occasum, pro nigra veste, tenebris
Terra dolens tegitur, stillanti rore rigantur
Pro lacrymis herbæ tremulæ, totusq; silenti
Nocte gemit mundus tacito mœrore sopitus;
Sol tuus, Anglorum, transivit, terra sub vmbras
IACOBVS, veræ fidei Patriarcha fidelis:
Hoc animi testis calamus sceptrumq; fatetur.
Altius ast tanti te mors, Academia, Regis
Tangit IACOBI, naturâ debita morti
Vltima solventis; tu nunc Academia solvas
Debita IACOBO: sed constat præmia tanti
In fructus collata tuos maiora patroni,
Quàm poterit tenuis tua compensare potestas.
Ex oculis vnum te læta Bricannia binis
Nouit, & è binis eadem te fontibus vnum;
Vno ex hoc oculo fons effluat vnus aquarum:
Siste tamen luctus nimios Respublica, solis
Occasum sequitur solis clarissimus ortus;
Tuq; modum in lacrymis teneas Academia, Patris
Viuit imago sui CAROLVS, viuatq; perennis.

Tho. Flexney Coll: Exon: Commensalis,
& interioris Templi London. Socius.

VEre nouo, Medici renouari corpora dicunt;
Fitq; nouus, sanus, sit magè firmus homo.
Vere nouo, succi terreni fæce relictâ,
Maxime Rex purus cælica Regna petis.
Principiumq; noui fuerat qui Martius anni,
Principium est Regni, quod sine fine manet.

Tho. Clayton Doctoris filius.



PErlege; num quæris, quid versâ fronte legendum?
Subvertunt sociæ Gaudia Tristitiæ.

Quod à mense Martio *ad* Maium *delata est Sepultura.*

Tristes num expectas Cineres lacrymabilis vrna?
Heù lentè properant, qui coluêre, Rogum.

H. Tozer Bac. Art.
Coll. Exon. Soc.

Parentalia IACOBO.

שיר מרובע:

מי יתן לי ראשי מים
משין דמעה את יצנים
כל היום ולילה לבכות
מלך בת עמי בעפור מות:
הוי נא לנו כי חטאנו
נפלה כתרת ראשנו:
אם כן למעל עוד תוסיפו
אתם גם מלך תספו:
מראשית כן האל אמר
עתה שלם את הדבר:
גם זאת אמר יש כאלהים
אכן ימותו כאנשים:
כן אמר האל כן שלם,
על כן אל ירעם נא העם:

Edvardus Meetkerkius ex Æde Chr.
linguæ sanctæ Professor Regius.

PRudens, & sapiens, regum doctissimus esse,
Arbitèr imperiis, hoc Salomonis erat:
Pacificus, clemens, fidei defensor, & alter
Divorum in terris, hoc Salomonis erat.
Totus eras, IACOBE, tuis, Rex optimus, at non
Divisum imperium est hoc, Iacobe, tuum.

De tribus Anglorum Principibus ultimis, primi nominis, sed diuersi.

ELIZABETHA suos, & adhuc memorata, beavit
Nomine primitio, forsitan omen inest

IACOBVS

Iacobvs pacem regno sine fine reliquit,
Nomine primitio fortsitan omen inest.
Succedit Carolvs, pacem, populumq; beatum
Restituens, annòn certius omen adest.

Ex: S.Th: Bac. Coll:
Bal: Soc.

QVi cineres decorare tuos, vrnamq; putabit,
Ignorat numen (Dive Iacobe) tuum.
Impar *Melpomene* tanto Musæq; dolori,
Impar funeribus Græcia tota tuis.
Solus par vnæ Carolvs, divina propago
Ingenio & genio facta beata tuo.
Quod reliqui scribunt crassum est, & *Apolline* nullo:
Quùm cecidit sæcli magnus *Apollo* sui.

Io. Smith Art, Mag. Coll.
Divi Iohan. Bap. Soc.

Quod febre mortuus sit.

QVod nequit prægnans nitrato pulvere tellus,
Crudelis morbi sævior Ignis agit.
Stramineum expungat jam Roma sacerrima Divum,
Inq; novos fastos Numina Febris eant.

Edvardus Tutt Art. Mag. & Novi
Collegij Socius.

Ænigma.

EXijt è vitâ, cùm *Martius* exijt: *Artes*
Fatalemq; *diem-Solis* Apollo dedit.
Terna tibi Numero addenti *Dialemata* Regis,
Ætatem & Morbum si petis, aVLa dabit.

Lancelotus White Novi
Col. Soc.

Chronogram.

IaCobVs SteVartDVs ReX pIVs, IVstIssIMVs obIIt.

Ann. D. MDCXXV. & regni sui Angl. XXII.

REX PIVS, & meritò qui rex IVSTISSIMVS audit,
Iustitiâ nulli, nulli pietate secundus,
Pro verâ verè dictus pietate IACOBVS,
Et pro justitiâ STEVARDVS; (proh dolor) ille,
Nectare & ambrosiâ dignus, qui dignus obisse
Nunquam, vel senuisse fuit, si fata tuissent;
Ille (utinam nunquam fas sic dixisse fuisset)
Ille OBIIT nuper Deus (attestante Iehova)
Tanquam homo jam moritur: lux regni & spiritus hujus.
Heu quantam eclipsin passa est nostra Anglia! visa est
In *Scetiam* & tenebras verti, vernumq; videtur
Hybernum tempus; sicut Leo non velut Agnus
Martius egreditur, vitâ egrediente IACOBO;
Infaustus regi mensis, qui audire volebat
Pacificus, Princeps pacis, non Martius; agnus
Non leo; rex piger ad pugnas, ad præmia velox,
Cùm talis fuerit, talis cùm vixerit, Agnus,
Deq; tribu Iudæ mansueto corde Leonem
Iam Christum sequitur, cum Christo Principe pacis
Regnat, pace Dei fruitur mortalibus vltis
Nondum intellectâ: Deus illi ad præmia velox
Ac justus judex dat præmia justa, coronam
Iustitiæ, Regi fuerit quæ summa corona.

Geo. Stinton in Art. Mag. Coll. Pembroch.

LIquêrunt nuper terras *Henricus* & *Anna*,
Ambo *Britanni* lumina, & splendor poli.
Vltimus Ætheream rapitur IACOBVS ad Aulam;
Potentioris fideris fulgens comâ:
Tu tamen, ô Fatum, ne nostrâ Clade triumphes,
En, lacrymarum finis, & luctûs adest:

Nam vetula Hos Iones, ingentiaq; Astra coëgit
Natura, magnum jam parans Mundi Rogum.

Alex. Hyd. LL. Bac.
Coll. Nov. Soc.

LVgete ô χαριτὸς, Musæ lugete, leporum
Si qua dea est, luctu lugeat illa pio.
Occubuit Musas qui nobilitavit, & Artes,
Qui cum Rex esset, *Pallade* plenus erat.
Quàm benè regnabant augusto pectore Musæ?
Quàm benè divino sederat ore lepos?
Palladius artes pariter, pacemq; fovendo,
Terrenum nobis fecerat Elysium.
Des illi Elysium, cælestis Ianitor aulæ,
Non, nisi quod terris fecerat ipse, petit.

De patriâ Iacobi.

Gentibus antiquis, nisi nos proverbia fallant,
Omnia venerunt ex Aquilone mala:
Hinc *Teuto*, *Cimberq́*, ruit, *Burgundio*, *Suevus*,
Vandalus, atq; *Hunnus*, *Gothus*, *Alanus* atrox:
Hinc *Heruli*, *Gepidæq́*, & cætera turba cruenti
Martis progenies, quam numerare labor:
At nobis contrà quanta ex Aquilone bonorum
Materies? omne est ex Aquilone bonum;
IACOBVS, CAROLVSQ; & regia tota propago
Hinc venit, nobis fons & origo boni est.

Nathaniell Field in Art. Mag.
Novi Coll. Soc.

LVgete gentes, vnicus nunc est modus
Nullum doloris posse *servare* modum.
Parum est habere fæpè stillantes genas
Pro Rege, parva si data est oculis mora.

O quam juvabit flere per totum diem,
Cùm memor eris tanti è tuum jam spiritum
Effunde totum, tam beatum est hunc sequi,
Et pace quam dederit in æternum frui.
Postquam Patronus cecidit hic Musæ potens,
Quis est fidelis esse qui coget suos
Suadendo, dum jubere quod possit, rogat.
Non dicit ille citiùs, hæc populum decent,
Quam vulgus ista peragit, & majus putat
Regi jubêre quisq, quam jussa exequi.
Anglíne possint Regis obliti pij,
Cui quæq; lingua nota erat tanquam sua,
Silêre? lacrymas solus effundit lapis,
Marmorq; tumuli? prodiga hæc tellus fiet,
Et si dolenti cuilibet fatum manet
Crudele *Niobes*, una sit rupes citò;
Tellus sepulchrum, meruit, vt tali foret.

Guil. Butkner, Art. Bac. ex
Ædc Christi.

NOn te defunctum flebo, meliore potiris
Vitâ, defuncto mors tibi vita fuit.
Mortuus ecce viges, nullo præcone carebis,
Rex omnes laudes vrbis, & orbis habes.
Securus IACOBE tuo Rex esto sepulchro,
Cui dum vixisti vita quieta fuit.

Richardus Napeir è Coll. Wadh:
Militis & Baronetti fil.

REx meus, Anglus ait; meus es, sic Scoto-Britannus;
Αμφίστομα faciunt, dum, Meus es, repetunt.
Neuter, vterq; valet: sed quò lis orta fatiscat,
Terra capit corpus; spiritus astra petit.

Jo. Arundell Equ. fil. nat. max.
Coll. Exon.

Procede surde semper in nostras preces
Phæbe, & Camęnam ducito tecum meam;
Potest stupere, nulla Gorgoneam lacum
Magis profundè combibit. Parum est? Stygis
Noctem, atq; Lethes addito Tabem; & veni
Apollo verus; Cladium non carminum
Poeta. *Cecidit*; Audiat Tellus, Mare,
Et sæuus Æther; audiat Sol pallidus,
Sibiq; caueat; audiat cæcum Chaos;
Cecidit IACOBVS. Stat suo cælum loco?
Nec adhuc revulsæ cardo telluris crepat?
Stupent quoq; ista? vel parum credunt nefas,
Quod sic fefellit? Debuit lapidum grauis
Sonuisse Nimbus, messis vt caderet virûm,
Charonq;. dives Regio sciret rogo
Præludi, & aliam posceret fudans Scapham,
Timuisse mundus alteram Fatum, & Polus
Fumâsse totus debuit grandi face.
Sic velitari parca tam magnæ pyræ,
Morbiq; *Flammis*, quo IACOBVS *arserat*,
Debebat. At nunc addidit solertiam
Crudelitatj; pace donauit Scelus,
Vt Gens petita sentiat Damnum, & suo
Vacet dolori. Siccine? O fati nimis
Ingrata Domina; planctuum saltem petit
Comitem *Britannus*; si modo illius tua
Sagitta semper sanguinem ex alto bibit,
Fuitq; in Iras *Albion* ferax tuas.
Dubitatur? At iam Carcerem indignans dolor,
Marisq; iniquas Compedes, sibi viam
Præstabit ipse. Si suo Thamisis vado
Adhuc in Ortum properat, & mæstas aquas
Efflet Sabrina Virgo in Occiduum mare:
Et hâc & illâc curret; ac si emitum dabit
Quacunq; vasto terra & ignoto sinu
Pater, atq; canam concutit Nereus comam.

Plora-

Plorabit alter, & ſub aduerſo Polo
Ignauus Aër; iámq; Redeunti; benè
Fruetur Hyeme. Nilus abſtruſum caput
Extremo ab Orbe tollet, & Cladis ſonum
Grandi intonabit murmure, vt Gentes ſciant.
Scient Tyranni, & Regium Buſtum Rogis,
Vel inuidente morte, celebrabunt ſuis.
Triſtes ad arma confrement populi, & (ſeges
Cadmæa) ſeſe mutuâ metent manu.

Comitum *Britannus* numquid inuenit ſatis
Immite Fatum? nemo nunc audet miſer
Amare vitam, qui poteſt facilem Pyram
Luerari, & Orbis ire in annales, Rubrâ
Notâ legendus. Nam ſuas ex quo vices
Iactare Olympus ceſſat, & Cunas ſuas
Numerare Roma, Sæcla diſtinguet nouis
Faſtis IACOBI *Mortui Miracula.*

Quem Parca quondam metuit, & ſcelus tamen
Meditata, vires antè tentauit ſoas.
Parnuſque Preda prima IACOBVS fuit;
HENRICVS inde, maior occubuit labor.
Sperare tunc eſt auſa; & ingentem ferox
Auulſit *Annam* pectoris partem Sacrj.
Senſimq; ſero vulnere, & multâ manu
Ruit IPSE.

At non degeneri letho, morboq; pudendo.
Arſit: & haud alij docuit ſe cedere Buſto,
Quàm quo Natura, & Mundi compago peribit,
Cum ſemel extremâ flagrabunt omnia *Febre*.

Ergo, luſtrales cum iam ſuperaueris ignes,
I, rue ſideriam fidentior hoſpes in Aulam
Cognatum Ardenti ſubvectus in Æthera curru.
En! vaſto Alcides Axem deduxit hiatu;
Quoq; ipſe accenſâ fumans olim iuit ab Oetâ,
Pandit iter, ſedemq; propinquâ monſtrat in *Arcto*,
Vnde tuos videas integrâ luce *Britannos*,

Et CAROLI magnum moderêre in sæcula *Planstrum*.

Tho: Master. Novj Coll. Socius.

IAcobus iacet hic, virtute, vt nobilis ortu,
Consilio maior, maximus ingenio:
Qui Pacem populis fecit, suasitq; salutem
Et quam nolebant, fortiter imposuit.
Pacem ferre suos iussit, propriamq; salutem
Posse pati inuitos Angligenas docuit.
Quod populo belli strages luctusq; negauit,
Creditur hoc tantum displicuisse suis.

Insigni fileat raptus Dictator Aratro:
Hic iacet è cunis raptus ad Imperium.
Quem Regem natura dedit, cuniscq; sopitum
Ambijt in Regem Scotia prompta suum.
Quantus erat senior, cum fas fit credere, sceptra
Scotica tam teneras posse decere manus.
Credibile est, & qui gessit, potuitq; mereri
Sceptrum infans; cælum demeruisse senem.

Guil: Pickering Art:
Mag: ex Æde Christi.

Anagramma.

Iacobus Stewart obijt.

Ibo sicut beatus viator:

DE te, deq: viâ verum est Anagramma: beatus
Ante obitum dici, fataq; nemo potest.
Hic labor extremus, longarum hic meta viarum,
Perficis hic, omni ex parte beatus, iter.
Duxit in optatum, te mors, brevis ut via, portum:
Anchora Spes, Christus dux, Cynosura Fides.
Sic expectatâ non segniter hæres arenâ,
Libera ab horrisonis naufraga Pinus æquis.

Gasparus Pyne ex Aul. Cerv.

RAptura Regem Fata quærebant Virum
Curas coquentem publicas, Iustum, Pium,
Pacis Patronum sedulum, Robur togæ,
Baculum Camænis, Omnibus gratum Caput.
At (sæuus Error (sæuus ô vtinam foret,
Modò semper Error) Scæuolæ in mortem trucis,
Virtute similes Aulicos vrnæ dedit.
Dorsettus obijt, Proximi *Lennoxij*,
Sed neuter horum meta quæ satiet rogum;
Successit *Hammiltonis* in stragem cinis,
Non ille meta, iamquè Mors irâ furens
Proprium Ministrum nocte *Belfastum* obruit
Cumulare solitum busta victrici manu.
Post mi'le tela (vota nam populi diu
Lusêre Parcas) occidit tandem colus
Numinum petita; crede sed nondum mori,
Mutasse tantum Regiam credas suam;
Vbicunq; Rex est, Aula sortitur locum
Quocunquè migrat, turba Nobilium frequens
Stipare gestit. Angliæ nullus sinus
Orbísve tabula monstrat, at cælum dabit.

Io. Dammæus, Christi alumnus.

SOlus qui didicit sequi parentem,
Hic statim metuit præesse mundo:
Nec sese patitur citò vocari
Regem. Tam subito pater IACOBVS
Qui mundi moderator, orbe pulsus?
Heu nescit CAROLVS dolore cinctus,
Stipatus lachrymis, tegi coronâ.
Dum (VIVAT) geminant, struunt dolores,
Dum Regem CAROLVM creant, trucidant:
Sese surripuit Pius caterua,
Ad Sanctam properat domum IACOBI
Quæ dicta: hic queritur Patrem, IACOBVM;

At IACOBVS abeſt, Pater receſſit,
Et cælos repetit quiete plenos.
Sanctis Papicolæ ſuis fruantur.
IACOBVM veneremur; ipſe Magnus,
Sanctus, Pacificus, Monarcha ſolus.
Tot ſtruxit monumenta, quot ſtupenda
Fecit geſta domi, foriſq; ſcripſit
Libros: hiſtoriam reliquit actam.
Et quodcunq; bonum tenemus omnes
(Et quàm præ reliquis ſumus beati)
Hoc domum. ingenium, ſalus IACOBI.

Curis obruimur, ſtupent Camænæ,
IACOBVS moritur Pater, Patronus,
Princeps, & Genius, decus, deuſq;,
Muſarum, pietatis, orbis, artis,
Pacis, relligionis. Heu dolendum,
Mæcenas cadit omnium IACOBVS!

Michael Glyd ex Æde
Chriſti in Art: Mag:

QVò quò Britannos luctuum cogit furor,
Quid vſq; tanto regna iám buſto tonant?
Cur omne lumen rore turgenti fluit,
Stillatq; crebro ſudor oculorum lacu?
Eheu Monarcha, ſtrage ſed noſtrâ perit,
Perit ſuperbi candida Imperij ſalus.
Vt grande ſceptrum debili iacens ſitu,
Animoſa fulcra candidę quærit manus!
Corona triplici iura quæ regno dedit,
Dum cinxit almas aureo amplexu comas,
Suſpenſa clauo nullus eſt vermi timor:
At ſemper vnum ſeruat imperium cinis,
Vbiq; rigidam cogit in lachrymas genam;
Virile pectus turba Scotigenûm ferit,

Angloſq;

Angloſq; cingit alterum luctûs mare,
Moriente rege regnat infeſtus Dolor,
Oculoſq; Gens deuota quos viuo daret,
Litat ſepulto, dumq; Rex lumen ſuæ
Gentis, profundâ nocte ſopitus iacet,
Videre toto lumine eſt ingens ſcelus;
En orbus animæ, pare marmoreâ rigens,
Cinctuſq; ſæui ponderis cuſtodiâ,
Nimium quieſcit Ille, qui regni quies,
Qui pacis almæ cardo, qui cuſtos fuit;
Heu Ianus ille, candidus regni ſopor
Nimio tenacis clauditur ſomno rogi,
Et Vrna pacem rapuit, vt pacem daret.

Franciſcus Minne Ædis
Chriſti Alumnus.

QViſquis ſe ſtudio Dei ſacrauit,
Sancto pectora concitatus æſtro,
Hinc diſcat patriam ſibi futuram.
Muſas quiq; colunt ſeueriores,
Muſas quiq; colunt remiſſiores,
Confundant lachrymas, ſimulq; plorent:
Et Reges ſua fata deinde diſcant
Hinc tot Nobilium frequente lecto
Nunc præluditur ante fata Regis:
Et mors principio audet in Barones,
Quos lento Comites gradu ſequuntur.
Et iam mors ſpolijs ſuperba tantis,
Inſurgit petulans, Duceſq; ſternit.
Oh ſed quam benè ſæua adhuc ſtetiſſet!
Vltra progreditur, manuque torâ
Inuadit (ſcelus oh! ſcelus) IACOBVM.
Mortalem licet indè ſuſpiceris,
At Regem tamen inde ſuſpiceris.

Lodouicus Williams
ex Æde Chriſti.

GArrula fama refert vita excessisse IACOBVM:
Credis? an hunc potius fabula posse mori?
Talis an & tantus potuit succumbere morti?
Qui fuit in terris (cognita dico) Deus.
Pacificus, summè prudens, doctusque, piusq;,
Rex tum Mularum, tum probitatis amans.
Credibile est potius correptos huius amore
Ad cœlum superos hunc voluisse rapi.

Iohannes Savile Eq. & Baronetti filius
natu max. ex Aula Magdal,

Quod in die Dominicâ sit mortuus.

COnsedêre dies, & consuluêre supremam
Quæ tibi lux lucem, magne IACOBE, daret.
Luna petit, magnas habet hæc in corpora vires;
Marsque petit, regnum scilicet ille dedit.
Mercurij prudenter agit sapientia causam;
Majestas munus dixerat esse *Iouis*.
Detulerat *Veneri* per pontum sponsa petita;
Hoc mihi, *Saturnus*, convenit, inquit, opus.
Sola dies *Domini* victrix, sed mœsta recessit;
Nec mirum, *Domini* scilicet vnctus erat.

Robertus Heysome è Coll: Nouo.

In Symbolum IACOBI, *Beati Pacifici, & quod mense Martij obijt.*

VIvo nil potuit, sed jam moriente IACOBO
Plus Mars mense nocet, quàm nocet ense suo:
Sic sævit Britonum toto Mars impius orbe
Hinc, quòd Pacificus Rex Iãcobus erat.
Sed quòd Pacificus, post tristia fata IACOBVS
Mortuus, invito Marte, Beatus erit.

Ed. Mottershed Novi Coll.
Socius & Civilista.

In obitum Iacobi *post plurima Procerum suorum funera morientis.*

DEsine Nobilium vitio dare funera Fatis,
Aut culpare nefas, quod erat, moriente IACOBO,
Officii, non mortis opus; stipante caterva
Vt procerum rex migraret comitatus ad umbras.
Nec regnum arripiunt, quæ vitam, Fata; sed ipso
Funere jam regnat, qui cunis sceptra tenebat.
Heu cur non sequimur! solo non posse dolore
Turpe mori post Hunc. Prohibet sed *Carolus*; in quo
Nomine mutato victurum crede *Iacobum*.

Hen. Oxinden Armigeri filius
nat. max. C.C.C.

REx caput imperij est, regnum quasi corpus; in illo
Publica res visa est vivere, visa mori:
Si caput abstuleris, corpus sit vile cadaver,
Sic populus, Regis qui vacat auxilio:
Atq; videbamur nos quâdam morte perempti,
Nam fata & nobis imminuêre Caput.
Sic geminũ impendet fatum, subeundaq; mors est
Illi bis, Regem qui perisse sciat.

Robertus Goodwin Æd. Chr.

POeticorum bombus obstreperus gregum,
Et bustuarium pecus circa rogos
Vlulet minores; Regium sunus dolor
Non talis ambit, vda non lacrymis gena,
Non syrma, non Elegeîa, non totus Deus.
Verum furorem, spiritus fracti sonos
Communis ista concitat Vastatio.
Titubat Iambus hinc & hinc dubio pede,
Doletq; strictum terminum, & nimium brevẽ,

Siccumq; fontem, & sobrias ridet Deas.
Nunc ora fletu mergere vndanti parum est;
Oculum Britannus, & Oculum libet Scotus,
Iterumq; Scotus; spiritus illic suos
Hausit tenellus, sceptra cùm ferret sinus
Immista Nugis, inter & cunabula
Grandi coronâ luderent parvæ manus;
Initium Honoris, vnde non meminit sui.
Titubat Iambus hiuc & hinc dubio pede,
Doletq; strictum terminum, & nimium brevẽ,
Siccumq; fontem, & sobrias ridet Deas.
Insigne, & altæ stemma virtutis ferax,
Idæa nobilitatis, & compendium
Virtutis; in cujus beato sanguine
Regina multa floruit, multusq; Rex,
Immensus Ille frigidum terræ brevis
Cubile patitur, unus & totum lapis,
Britanniæq; abscondit ac Scotiæ ambitum.
Titubat Iambus hinc & hinc dubio pede,
Doletq; strictum terminum, & nimium brevẽ,
Siccumq; fontem, & sobrias ridet Deas.

Richardus Busby ex Æd. Chr.

PAcifico pax sit, cineri tribuamus eandem,
Quam dedit ille orbi. Pax sua Pacifico.

Io. Martyn Coll. Or.

NVnc tandem video mortem omni lege solutam,
Terrenos rapiat cum Libitina Deos.
Flacce, nimis verum est, *Mors sceptra ligonibus æquat*;
Cùm subeant fati sceptra Britanna vices.

Optime Rex moreris, pia dum *Ieiunia* aguntur,
Dumq; suæ vitæ crimina quisque dolet.

Post

Post fatum, Iacobe, tuum *Iéiunia* durent
Vsque, & perpetuus duret *vbique* dolor.

Thomas Merrye ex Æde Christi,
Equ. aur. fil. nat. max.

HEu infauste dies nigro numerande lapillo!
Qui simul orbâsti toto tria lumina regna,
Iacobo, cui nulla parem dent sæcula Regem.

Fauste dies niveo potius numerande lapillo!
Qui simul egregio tria Principe regna beâsti,
Principe, cui valeant dare sæcula nulla secundum.

Abstulit vna dies lumen columenq; Britannis,
Vna dedit; facto placida & crudelis eodem.

Iob. Owen Art. Bacc. et
Atila Cerrina.

Quòd salvum Gourij & Papistarum coniurationem euasit, & in lecto obijt.

IACOBVM, quem nec gladius, nec sustulit ignis,
Morbi fregêrunt; quæritis vnde fuit?
Nec *Gnido* * Lachesin, nec *Gourius* Atropon egit, * *Plaut.*
Hæ mortis, verùm hi tela fuêre virûm.

Gulielmus Chambers è Collegio
Exon. nuncup. Art. Bac.

ILlustris cecidit terrarum gloria *Cæsar*:
O quis mortalem ci ederet esse Deum?
Facta Deum resonant: hominem mors sola fatetur:
Quod nequeas vitâ discere, morte queas.

Ed. Clemes è Coll. Pembr.
in Art. Bac.

AT vos defletum, Britanni, tollite Corpus;
Poscentiq; suum credite pignus humo.
Arcebunt rabidum Cineres atq; Ossa Gradivum;
Pacificus vel post fata IACOBVS erit.

Quod mense Mart: exeunte obiret.
Invisum semper sibi Mars, & sæpè petitum
Tandem IACOBVM sustulit.
At scelus vt vidit, subitò se turbine velans,
Exivit in Suspiria.

Rich: Parsons Art: Bac:
Novi Coll: Socius.

QVoties Hyblæo salices examine fervent,
Taurigenæ rapto cum fremuere duce;
Ceu Pandionijs incumbit questibus Atthis,
Dum sopita fodit pectora spina memor:
Non minus Isiacas, extincto Principe, ripas
Personat eloquij mellè caterva potens;
Musarũ & modulatur aves lacrymabile carmen,
Dum pungit vigili cuspide corda dolor.
Anglia nunc geminas, titulo crescente, sorores
Vel lacrymis Oculos nouerit esse suos.
Dum patrium Tellus medio rapit obice Solem,
Et grauis Arctoum præpedit vrna iubar,
Hic bibit Anglaci mœstum vectigal Ocelli,
Castalij laticis parua sitella, Liber;
Eclipsin, totus quam plangere debuit Orbis,
Cernere iam sacræ Vase licebit aquæ.

Guhel: Griffith LL. Bacc.
Noui Coll. Socius

Chronogramma.

M D C X X V.

IaCobVS Magna BrItanIÆ reX, fIDeI propVgnator.

QVàm benè te tituli decorêre Iacobe, decusque
Signantes, vitæ curriculumque tuæ!
Quàm benè fatidicus titulus tibi convenit, vnde
Calleres rectè dinumerare dies.

Io. Tombes Aul. Magd. in Art. Mag.

HIc jacet in Tumulo *Iacobus Primus*, & ille
Primus Pacificus; Regis in arte Prior.
Proximus ad fontem Musarum; Primus amore;
Ille fide verâ Catholicâque Prior:
Proximus in divis. Primus sine sanguine victor;
(Cùm placuit) Nulli Marte Secundus erat.
Rex igitur Primus seclo memorandus ab omni,
Sitque Prior reliquis, Primus in ore meo.

Laurentius Washington Art. Bac.
Coll. Æneanasensis.

MAgnates nuper viduata Britannia raptos,
Ad tristes lacrymas est comitata rogos.
Immitesque Deos, crudeliaque Astra vocavit,
Atque Annum crebro Crimine terribilem.
Cùm subito ingenti *Iacobus* funere mersus,
Mirandi & flendi jussit adesse modum.
Nam Procerum, officij nacesto certamine, *Regi*
Struxerat in Cœlum prævia turba viam.

Ioannes Gardner in Art. Incept.
Novi Coll. Soc.

Teneas ſuperbe conſciam vermis gulam,
Agnoſce tandem regias ſatur dapes,
Quæ cultui ſacrantur, & non eſui.
Iacobus hic eſt, abſtine, *Iacobus* eſt,
Qui cum relictas ſeuſerit partus moras
Vagivit infans *Cæſar*, vt faceret fidem
Quod non è *Maria* natus, at Monarchiæ
Foret æſtimandus: crederes genitum deum
Simulac Monarcham, quiſq; certè liberum
Putare mortis potuit humanæ jugo.
Æquè ac remota vulgo erat Natiuitas.
At hic fidelis vermibus præſtat dapes
Non vendicatas: obſtupent tali cibo
Fari helluones, parciuſque vrgent famem:
Ipſo cibantur tutiùs miraculo.
Eheu verendum ſentio mœſtus caput
Iam jam minutum, ſiſte, quiſquis impium
Audere morſum fortis, agnoſcas caput,
Quo vel ſepulchri doctus moles tumet,
Minuſque hebeſcit terra, *Iacobum* tegens;
Sapit ille pulvis, quiſuo gaudens hero
Tumulum negat ſe, & aſſerit Palatium.
Semeſa facies Regis, & laceræ genæ
(Diſcriminandæ jam ferè vix vermibus
Antiquiori à pabulo) quod non ſuo
Horrori adaptant corpus è: ut tandem miſer
Sit quod queratur, qui doles leuiùs ſtupet.
Mala non fatetur ni ſuis addat malis,
Et cauſa luctus fiat, & lugens ſimul.

Vnde nova hæc macies? quæ Quadrageſima vera eſt
Cum carnibus Regem negans?
Num ſuperi efficerent magis ut jejunia conſtent?
Luctumque pœnitentiam?

Robertus Gomerſall ex Æde Ch.
Art. Mag.

OCcidis, auſpiciis nec enim ſolennibus vtor,
Nec Phæbum Muſaſve voco: Tu ſolus Apollo
Occidis, & Tecum ter trinæ abiêre Sorores.
Quid tamen erepto dignum plorare Camænæ,
Quid viuæ potuêre? Furit laudator, iniquam
Qui timet auxeſin. Ne ceſſent fingere vatum
Quicquid habent Artes: ſolitos vbi maxima fines
Exceſſit virtus; facilem tam falſa loquentes
Inuenient, quàm vera fidem. Ne quærite Stellæ
Fatidicos crines, Mortiſue oſtenta futuræ;
Prodigium eſt, potuiſſe mori. Cui ſtruxerit Aras
Romulus agnoſco. Leuiori cedere dextræ
Non potuit; tantámq; dedit dea ſola ruinam.
Decipit Aſtrologos error: nec Marte tenebris
Æquantur luces. Quanta ô nox illa, pareſq;
Non vllos habitura dies; Sol vnicus Anglis
Occidit, heu alio non ſurrecturus Eõo.
Anglia Papiſmum ſi poſtmodo nutriet; hinc eſt,
Relliquias colet illa tuas. Tu, Diue, Iacobum,
Et Compoſtellam factura Britannia nudam eſt.

Quæ ſolita eſt Hyemem ſentire Britannia duram,
Mirata eſt Tepidos mitiùs iſſe dies:
Scilicet huic damno cauit natura, gelata
Ne poſſent lacrymis ora carere ſuis.

Martius ætatis quod ſtamina ruperit, hoc eſt;
Nimirum * Titulos oderat ille tuos.

* *Parisich*

Gulielm. Barker, Nou. Col. Soc.

QVales Hybleæ ciues, gens incola ſylvæ,
Ebria mellifluo nectare veris, apes,
Regis fata ſui plorant ſtridente ſuſurro,
Fundentes querulo murmure triſte melos.
Tales Pegaſides, tales gens Attica queſtus
Mittit flebilibus, preſſa dolore, ſonis.
His Aganippææ turgeſcunt fletibus vndæ,
Et flens hinc potam muſa refundit aquam:
Ipſe dolor nobis muſa eſt; En filia luctus
Nata eſt incomptis mœſta Elegeia comis.
Munitoſné valet Diademate vellere crines
Letiferis horrens Perſophonea minis?
Invida viuificæ paci, regemq; peroſa
Pacificum, rapuit mors inimica ſuis.
Ambitioſa tamen nobis mors tollere totum
Non valet, ingenii ſtant monumenta tui.
Nox æterna tuum potuit celare nitorem,
Si non in tenebris luxerat iſte nitor.

Ar. Williams Orial.

QVid fletu grauidi madent ocelli,
Plebiſq; & procerum? quid audiuntur
Plangentes Academiæ dolores?
Vulgari lachrymâ rigare *Regem*
Immenſum ſcelus eſt, parumq; ſalſæ
Si quis diluvio parentet vndæ.
Princeps interiit, Iouis Senatum
Dignus qui decoret ſuo nitore.
Vellent imperium hoc pati Catones:
Sub regno cuperet vel ipſe Brutus

Servus viuere, ſubdituſq; Cæſar,
Iacobo moderante ſceptra regni.
Quænam flamma vacet fabrilis? aut quæ
Ductura effigies tuas metalla
Nobis ſufficiant? decus videtur
Omnino exiguum, tibi parare
Altas Pyramides polo minantes,
Mauſolæaq;; nos nimis dolentes
Inuadat ſtupor, inq; prima ſaxa
Conuertat, tumulum vt ſtruamus abſq;
Leui marmore ſaxeo è popello.

Ed. Fulham. ex Æde Chr. alum.

PRima Numæ debent clauſum vidiſſe, IACOBO
Secula biſrontem poſteriora Deum.
Quam benè conveniunt hæc vltima ſecula primis!
Vidit præſentem terra Britanna Numam?
Vidit terra, eheu non eſt viſura! reuerſus
Ad ſuperas adiit, venerat vnde, domos.
Pande Sacerdoti ſuperûm Palatia veſtro,
Pacatas clauſit qui tibi Iane fores.

Ioan. Dennet Coll. Nou.

QVid ſua pullatæ fugientes antra Camenæ
Vndiq; circumagunt, plectraq; dura mouent?
Atq, Hippocrenen oculis turgentibus augent,
Conatę pluſquam Deucalionis aquæ?
Nempe dolet muſas dici: piget artis, & ipſa
Tempora nunc Phæbi ſola cupreſſus habet.
Nec minor in cineres populi ſtrepit vndiq; luctus:

Et quemuis ſtipat multa querela locum.
Hic ſtupet attonitus iacturæ mole, ſiletq;,
Principis vt ſtatuam dixeris eſſe ſui,
Marmoream dicas flentem, cum clamet ahenam:
Plus potuit *Phy*dias, quam facit ipſe dolor?
Ille pius nimium lachrymas lugentibus omnes
Inuidet; & doleat ne ſatis ipſe, timet:
Atq; manu pectus plangens, aperire ſepulchrum
Tentat, quò Regem poſſit habere ſuum.
Iam queritur nimium nigras properaſſe ſorores,
Magnaq; iam properâ prælia morte gerit.
Si *Py*lios nobis vel conuixiſſet ad annos,
Quis tanti Regis funera ſera putet.

Guil. Mayne ex Æd. Chr.

FLete novem (ſors veſtra iubet) iam flete ſorores
Fata dei, periit muſarum maximus Atlas,
Æmulus & *Phæ*bo, qui maieſtate ſolutâ,
Excoluit Suadam, totumq; Helicona ſacrauit.
Non ego perdomitas gentes, Martiſue ſuperbi
Bella coronatis nunquam moritura trophæis
Depoſco Cyrrham: ſatis eſt (ô muſa) togati
Arma ducis doctæq; ſacrum diadema Mineruæ
Expedias: perit (ô fatum) quo ſceptra tenente,
Hæc regio, pacis fælix, & caſſa duello
Extimuit nunquam reſerati limina Iani.
Detonuit quoties infeſtis gentibus irâ
Arbiter ille ſuam dum pacem diuidit orbi?
Sanguinis humani parcus per verba fidemq;
Commiſſos ſociare duces optabat, & vno

Per-

Perpetuò insontem complecti fœdere mundum.
Vis in bella ferox, animæ quoq; prodiga virtus,
Æqua viris, atq; æqua feris: Te (maxime regum)
Eximium pectus studiis, animiq; capacis
Impetus æthereus, genero sæ conscius artis,
Exemptum turbis, altum super astra locarunt.
Te tua fata vocant, at non tua scripta peribunt,
Pallade quæ dextra condis, genioq; secundo:
Quæq; tuam (sacræ tanta est reverentia musæ)
Vsq perennabunt, Libitinæ nescia, famam.
Debuit hoc saltem tibi non (fortuna) licere,
Vt pater ante diem funestum clauderet, esset
Quàm face regali thalamos adducta sacratos
Desponsata nurus: socerisq; beanda supremis
Auspiciis, caperet labris non vana precantis
Oscula: cùm claudens manus expirantis ocellos,
Sacra parentali decoraret funera planctu.

* * *

PRoh mala fatorum! cecidit Rex funere acerbo:
Heu quantum nostri præsidii vrna tegit!
Si quid amor posset, si quid pia vota valerent,
Non foret infesti funeris iste dies.
Marmora non statuunt tumulum tibi & ærа perennem,
Aurea nec laudes predicat vrna tuas.
Sola tibi condet Philomuso Musa sepulchrum.
Par genio, fidei, par animoq; tuo.
Quod post sæcla tui memores renovabit honores,
Quando aurum, quando marmora pulvis erunt.

Tho. Wilde, ex æde Christi.

Spectate populi, quisquis haud didicit mori,
Hoc teste discat, hic stupor mundi iacet;
Hæc alta sedes mentis, illustre hoc caput,
Prudentiæque grandius palatium
Concidit, & vltra restat illius nihil,
Nisi auferendum, nil nisi abdendum solo.
Fodite ergo tumulum, qui sit ambobus satis,
Patriæ, & IACOBO: Pompa lugubris Veni:
Iustitia *Libram*, Pax *Togam*, Spes *Anchoram*,
Et *Pileum* tum miserai libertas, *sacram*
Religio *vestem* ponite ad tumuli aggerem
Iuxta cadaver illud, vt sacras procul
Secum sub vmbras illa quæ dederat ferat.
Querimur levè nimis, tota ferales gerat
Natura cultus, luctui angusta est nimis
Humana turba! Syderum ô frequens cohors;
Extincta lux est nostra, cur nobis micat?
O tu Boöte, plaustra tantisper tua
Solitumque cursum cohibe, & in terras redi;
Vt axe sunus istud attollas tuo
Cœleste sunus: tuque vocalis lyra
Fidibus remissis carmen infelix sona.
Lyræque Cycne proximum in cœlo decus
Fatale tristi voce moduleris melos:
Sed quale sub Caystriæ ripæ sinu
Mæandri ad vndas morte vicina sonas,
Lateque canta: IACOBE, proh fatum, ô dolor!

Io. Hamden, ex æde Christi Alumnus.

Quod

Quod sub fine Mensis Martij obijt, quo etiam Angliæ regnum auspicatus est.

DVm firmo validus IACOBVS constitit ævo,
Et quatit in fortes regia sceptra Scotos;
Mars Bellatorem speratus fore, viribus auget,
Datque novo Angligenas (bellica corda) duci.
Et (tanquam admoneat cædis, tristisque cruoris)
Sceptra Leonino sumere mense iubet:
Ast vbi Pacificum sensit deceptus, in iram
Accendit sævus pectora prompta Deus.
Anna perit, Rex languescit, tandemque (triumphum
Optatum serò Marte canente) cadit.

Quod Mense Martio obijt, quo antè ELIZABETHA *& ANNA Regina.*

NVnc tandem armatus, pugnaxq; *Gradive*, videris
Virum occidisti; vtique IACOBI iacet.
At tu crudelis noli iactare Trophæum;
Cupiebat ANNAM visere, & voluit mori.

Tho. Mallory, è Coll. Novo.

QVicunque præsidere Fortunæ, Viris,
Sibiq; cupiet, fiat hic Animi tui
Hæres; videbit sæclo inauditum Aureo.
Sed in hoc stupendum, mentis exemplar piæ,
En ille firmus gentis humanæ Polus,
Immotus vllo turbine, & constans Sibi,
Inter sonantes Martis horrendi minas,

Qui

Qui tuta vt alta grandis imperii iuga
Servare potuit, vmulæ nomen iacet;
Et iam perennis Pace perfruitur Tori.
Venerande Pulvis, altior certè Quies
Vix nunc soporat busta, quàm vivo fuit:
Quamvis frementi Belgia horreret sono
Vicina Tellus, Clangor immanis Tubæ
Non nos cievit, Angliæ toto ambitu
Vibravit Ensem sola Iustitiæ manus.
Plures Triumphos ipsa Pax retulit Tibi;
Et Gutta Calami, rubra quàm Gladii nota:
Astræa dixit Te Suum, & Pallas Suum.
Qui confluentes vidit huc Terræ Incolas,
Oraculumq; Pacis adeuntes sacrum,
Te novit vnum non Tibi, at Toti simùl
Vixisse Mundo: Scripta qui refert tua,
Libros profundæ Mentis, & multi Iovis;
Laurum Coronæ nectet: & calamum tuo
Sceptro maritans, sentiet Totum simùl
Te nósse Mundum: Proximus Rex est Deo,
Sed ille longè Proximus, quisquis truces
Pacare novit Turbines, quisquis pari
Et Scire vastum & Posse metitur gradu.

Mathæus Seys, Ædis Christi.

SI tibi dent animo non impar fata sepulchrum,
Angusta est tumulo terra Britanna tuo.
Iacta licet multo genitrix sit Scoria luctu,
Tam genitum gaudet, quam periisse dolet.

Mich. Benet ex Ædc Chr.

Iam

IAm tempus proprium petit dolorem,
Quadrageſima cogit in querelas,
Et mutata docet lacerna luctum;
Quàm noſtris Lacheſis malis acuta eſt!
Dum mæſti proceres togâ nigellâ
Velantur: lachrymas mouet IACOBVS.
Si quis veſte tenus gemebat antè
Pullo, nunc animo dolere pergat:
Et qui tabuit antea dolore,
Idem nunc geminet ſuas querelas.

Iohan. Berkley Æd. Ch. Alumnus.

QVodcunq; nobis ſidus inimicum fuit,
Latebit, & premetur invidiâ ſuâ;
Non ſic abibunt odia: cælorum cadit
Malignitate victus in terris deus:
At ſolis inſtar ſplendidius oritur jubar,
Tenebraſq; tremulo ſiderum vulgo facit,
Ipſumq; Phæbum luce dedecorat ſuâ.
Quàm Regis vmbra ſplendet! En quantâ face
Dominatur aſtris fulgidum cæli decus!
Caliginoſæ procul abhinc nubes eant,
Dum tendit avidos lacteâ ad ſuperos viâ:
Neq; lachrymarum per genas imbres cadant,
Siccate fontes: Impius quippè eſt dolor

Qui tàm beatos madidus in cineres fluit.
Vulgare fletus forsan, at siccus decet
Regale funus mentis attonitæ stupor.

Jo. Warren. é Coll. Wad:

Quod Rex die Solis paulò post meridiem è vita demigrauit.

ECce die Solis clausit sua lumina Phœbus
Noster, & in medio Sol cadit ille die.
Sabbata non curat mors obseruare profana,
Cuilibet esse potest ultima quęque dies.
I, numeraq; novo iam plurima Sabbata cœlo,
Æternam requiem tuque beatus habe.

In febrem quâ Rex ægrotauit.

Qui semper zelo, Febris nunc igne calescit,
Vrunturque novo viscera viva rogo,
Defensor fidei voluit nec perdere lethum,
Dum flammis Martyr Rex cupit esse suis.

Carolus Bostocke, Ædis Christi Com.

IRata Pallas turbidas rixas ciet,
Satyris Camænæ fœdunt, vano inuidas
Pro morte Phœbi carmine in Parcas ruunt.

Nugas

Nugas pias! has vmbra talis negligit.
Genios perire, fata Seniores sua
Pati, peractis circulis solennibus,
Docuit vetustas. Delphicam linquens domũ
Cœlum repetijt Phœbus, vt fieret Deus
Exuere Pythium voluit, nos Aream Iouis
Quid invidemus artium augusto patri
Crudelibus lachrymis? Agite, placidæ manus
Numinis inane corpus imponant rogo,
Cippusq; Pacificos leuis cineres premat,
Oliva violis cincta nascetur; procul
Sint bustuarij, oscinum innocuus chorus
Pæana bustum decoret æterno, procul
Lemurum vigiliæ, cuncta quæ tenent, procul.
Fauni choreas funebres illic agant.
Nimphæ Thymelicæ, saltuum pulchræ Deæ,
Eccho, Diana; canticum mœstum sonent
Venatico murmure; IACOBVS bestias
Aut Bestiam premere solebat; hanc pio
Calamo, otio illas. Scripsit errorum necem,
Homines doceri voluit, & ceruos mori.

G. P. Magdalenensis.

QVò fugis, vt mortẽ fubeas? tria regna relinques?
Res jucunda, mori, Regibus esse potest?

Quæ te contineat tellus? vbi membra repones?
Accipiat cineres an leuis vrna tuos?
Eſt anguſta nimis Regi domus, vrna potenti;
Regia num fuerit Curia ſarcophagus?
Complere en potuit viuens præſentia Regnum,
Parvus & abſcondet mortua membra lapis?

Chriſtophorus Birkhed.
Ex Ædc Chriſti.

ANni quàm ſubitò fatis invertitur ordo,
Verque novum brumam vertitur in rigidã?
Ver quondã melicis modulatibus aëra complens,
Iam reſonat querulis, nil niſi triſte, modis.
Fatales renovat luctus mæſtiſſima Progne,
Flebilis Halcyone eſt, & Philomela dolet:
Non ea Cæycem; non ſe Pandione nata,
Nec gemit enectum Daulias ales Itym.
Te, Te defunctum plorant (divine IACOBE)
Tu triſtem Prognen Halcyonaſq; facis.
Iſtarum accipiant cineres modulamina mæſta,
Atque habeat lacrymas vrnula ſacra meas.

Matth. Croo. Civiliſta, & Sancti Ioan. Bap. Coll. Socius.

Cogor

COgor IACOBVM flere, nec credo tamen
Illum dolendum; hic aureos fecit dies
Pacatioris sæculi, & populo diù
Iam fœderato sola Iustitiæ fuit
Acies timenda. Vixit intrepidè suâ
Pietate loricatus, & circum latus
Vigil Satelles non in Horrorem tulit
Arma, sed in Ornamenta. Tellus hæc diu
Inuisa Ducibus, miles & suetus priùs
Posuisse duro cespiti vigilans caput,
Plumas queruntur, & nimis mollem torum.
Nec Pace tantum Temporis licuit frui,
Sed Conscientiæ; entheus verbi sacro
Raptu Minister Pacis æternæ Tubam
Ebuccinavit absq; Martyrij metu;
Britonumq; sedes tota Templorum ferax
Potuit vocari Civitas ingens Dei.
Nec non refulsit grande præsidium, & Decus
Cleri IACOBVS: Lumina hic Ecclesiæ
Extincta penè, & trita sputorum incio
Pede Laicorum, tandem Honoris vivido
Resuscitauit fomite; vtque omnis foret
Ardens Sacerdos lampas, hic Oleum fuit.
Videre gentes, hæccine nigrami Toga?
Hæc rore mæsto digna? Siccentur lacus

Oculi fluentes Angle, nam quisquis gemit
Adeo beatum Principem, Regno invidet.

J. Terent, Art. Bacch. ex Æde Christi.

EX quo regales IACOBI infantia cunas
Sensit, & amotis vagijt vberibus,
Sensit & insidias: vix dudum incep erat annos,
Quin morti hos tragicâ voverat arte dolus.
Præproperæ fraudes adeo incunabula scenam
Prima ministrarent, fascia Sarcophagum?
Sic scenas posuêre; Tragædia nulla secuta est,
Quæ dum non acta est, fabula tota fuit.
Proximus aggreditur, nec apertus, Gowrius hostis,
Nec magis ille suâ proditione valet:
Accedit que noui sceleris Iesuita malignus
Inventor, nec adhuc proditione valet.
Obstitimus sub Rege diu mortalibus ausis,
Et freti longum numine, rege, fumus:
Iam tamen occidimus, superest spes nulla salutis,
Si simul & Fatum Proditor esse velit.

Geo. Griffith, ex Æde Chr. *A.B.*

CAROLVS en caput est; cœratim numina cœlo
Descendunt capiti tam charo dona ferentes.

Ma-

Maiestas Iouis est munus, victoria Martis,
Ingenium Pallas largitur, sceptra marina
Trado tibi Neptunus ait, dominaberis vndis.
Hæc inter, magni tremuere ad busta IACOBI;
Obstupuere simul, simul uno hæc ore loquuntur:
Quænã hæc maiestas? quænã sub marmore sancta
Canicies? Ergo uirtus, diademata, sceptra
Vilescunt? ausa est oculis mors improba vultus
Aspicere intrepidis tam sacros? ausa ferire?
Quid? tandem cælos scandet, spolioq; superba
Terrestris diui superos tentabit, vt olim
Pallida terribilis captivans astra Typhæus.
His, subitò ascendunt, non ausi fidere terris.

Ri. Watts Ar. Bac. ex A. C.

Chronogramma
PatronVs fIDeI MagnVs JaCobVs obIVIt.

SOlvitur in Cineres summus Moderator adustas,
Nos miseri madidas soluimur in lachrymas.
Atlas Musarum, fidei, pacisq; Patronus
Hoc linquens Sceptrum, iam meliora tenet:
Splendid' Angligenum Sol cõdit in æquore vultũ,
Nec tẽ nebræ nec nox vlla secuta fuit.

Nath. Terry Art. Mr. Col. Exon.

Perijt

Perijt IACOBVS! ecquis huic fato poteſt
Supereſſe vates! ecquis hic muſis locus
Abeunte Phœbo! Totus en friget Latex,
Et congelatur vnda; nec vocem tibi,
Camœna, jugulum præbet: et tanto magis
Dolitura, quanto marcet et moritur magis.
I fama, cunctas nuncia inceſtes plagas,
Lachrymas Iberi, Lachrymas Galli cites,
Dacumq; et Italum mutuum in gemitum voces.
Non hæc Britannis ſola, communis perit
Iactura mundo: perdidit Regem Anglia,
Cuncti IACOBVM: fuerat hic, nobis diû
Sidus ſalubre; lucidum at mundo fuit:
Salus ſuorum magna, ſed ſecli decus.
Hæc præco dicat, imò vel tantùm ſonet,
Abiit IACOBVS! Dicet Auditor ſibi
Laudeſq; Lachrymaſq; quas vates nequit;
Hos vivus arte vicerat clarus ſuâ,
Præbetq; libri morte materiam libri.

Ed: Radcliffe in Ar. mag. Coll. Vniverſitatis.

CVm rex ſemideus, cum ſoluitur ipſe IACOBVS;
Numina iam metuant ſimul immortalia mortẽ:
Nam quę tam placidũ jugulare eſt auſa IACOBVM
Parca, nec illa Iovem formidatura Tonantem.

N. Sympſon Art. Bac. C. C. C.

QVi sacra Febrilis consumpsit corpora Feruor
Igneus, an fallor, zelus an ille fuit?
Hei mihi crudeles Parcas! IACOBE fuisti
Defensor Fidei, non potes esse Tui.

Iacobus Wither in Art. Incept. & Noui Coll. Soc.

SCeptra Britannorum Rex dum IACOBVS haberet
Aurea pacificis concessit tempora Musis.
Oxoniæ fauit totidem de matribus vni
Præcipuè, æternùm manet æternumq; manebit
Regis in Oxoniam monumentum & pignus amoris.
Illum velle mori nostras vbi fertur ad aures,
Isidis Oxonia ad ripas gemibunda filentis,
In lachrymas resoluta pias, ignara futuri,
Multa movens animo, sic mœsto pectore fatur:
Ergo libet data fata sequi, Rex optime? nec te
Fas erit affari vlterius, nec cernere? nostri
Nil te iam miseret? totidem misereſcet sororum
(Anglia alit binas, vnam dat Iërna, suosq;
Scotia quadruplici fœcundula matre beauit)
Quas tua mors vitam in luctu consumere coget.
Te duce nulla meas violarunt schismata sedes,
Templa Scholæ, Cathedræ, nullas sensêre ruinas.
Iamq; adoleuerunt dulces circum vbera nati.
At quæ circumstent me deinde pericula? frendens
Hinc Monachus, latéq; furens Iesuita minatur:
Hinc Catharista novus, quis nescit qualia demens
Arminius figmenta sonet? deliria iactet?
Suppliciter tristes (quondam tua cura) Camænæ
Orant, aspectu ne te modo subtrahe nostro.

Sic fatur lachrymans, breviter rex deinde locutus;
Parce metu, longæva parens, nam CAROLVS hæres:
Nec plura effatur. Digressu mœsta supremo
Respondet mater: Nostra hæc incondita tantum
Accipe (& extremum hoc miseræ sit munus alumnæ)
Carmina, natorum tibi quæ monumenta meorum
Sint, REX, & longum Oxoniæ testentur amorem.

Italus hoc velit; Italici caput orbis & vrbis,
Quod dudum cupiit cernere, cernit ovans.
Infælix vates! nescis quis protegat Anglos?
Quod minimè velles cernere, cerne fremens.
Quintus * Clementem Papam inclementer abegit
CAROLVS, attendas qualia Primus aget.

Guicciar. lib. 18 Plat. in Clem. 7 Hist. Rō. expug. per exercit. Carol. 5. an. 1527.

Michael Roberts è Coll. Exon.
Art. Magist.

PRinceps non fatum paritur, quem vota perennem
Dicunt, & pietas suspicit esse Deum:
Virtutes sacræ contemnunt funera famæ;
Et vitam tibi mors eripiendo dedit.

E: C: è Coll: Ex: A. B.

FVmanti è patriâ peregrinus & EXVL in oris
Heu dixi quoties! Anglia tuta foret.
ACcessi; invenio, quod Mors comitatur euntem
Quævis terra Rogos, quos lacrymetur, habet.
At Te, Rex sapiens, cur mors inopina peremit?
Num quia præ reliquis vivere dignus eras?
Heu flexus uitæ dubios! si flamma vel undæ
Defuerint, miseris morbus ut ensis erit.
Scilicet Heroum sic spirat ad alta voluntas;
Exuit Hospitium, dum cupit esse domi.

Hos gemitus, *Iacobe*, dabit mea Musa parentat,
Quam vidisse semel, sic doluisse diu.

Συμπαθείᾳ ergò canebat *Iohannes Hoffmannus* Germaniâ Archipalatinus in Art. Baccalaureus.

INsolita hæc rerum facies & discolor vnde,
Disparilesq; modi fatorum? Effæta minatur
Extimuitne chaos statura vacatq; ruinæ?
Ex quo composuit morientis lumina regis,
Ingemuit mœstum: feralitocta sepulta,
Desperansq; diem proprium speculata sepulchrum est,
Regalesq; animas in pompam funeris effert.
Iam sensit se posse mori & discordia sparsit
Semina bellorum; Zephyri Veneriq; benignum
Denegat afflatum: cœlum Mars solus adurit.
Hæc fieri quis posse negat? Moderator Eoæ
Occiduæq; plagæ; magnus, pax alma, Stuartus
Depositumq; tuum iacet. Eheu, tam pauci
Angligenæ, tantæ nollent superesse ruinæ.
Aëre tabifico langueat, & funere misto
Vrbs Augusta cadit defuncto victima regi.
Heu methodus funesta luis! Regni excipis ortum
Ipsa Stuartæi; et quasi regnatura, Monarchæ
Occasum sequerere? Infensum fecimus ipsi
Atq; nocens cœlum, pro nobis plectitur ille.
At vergunt iam fata, Iovis nunc ira vacauit,
Quem pestis, regisq; rogus, probat esse Tonantem
Fulmine deposito, flammataq; cauda Cometæ:
(Qui Germane tuis, sic fama est, luxit in oris
Semper communi & regali clade piandus.)
Non tamen hæc mouêre tuos gens Anglica questus.

Non lugere tuum est: magni solatia fati
Sunt, Lacrymis maiora pati. Quis funera vulgi
Fleret? Lustrales animas, vmbrasq; minores?
Hoc Pestem, Regemq; decet placare, tributo.
Regibus humanum vivit genus; Vna doloris
Est spes continui, nos non cecidisse. Minentur
Vitam dii superi: tantum contagia cessent,
Nec premat ira deum miseros, nam Viuere multum est
In luctus; satis est pœnarum. Noluit ille
Tam mitis Dominus placari morte suorum.
Occidit hic, sub quo fuerat modò concolor orbis.
Semper adorandum caput orbi, & flamine, & arâ.

M. Williams in Art. Mag. Col. Orial. Soc.

CVr stagnant oculi rubri dolendo?
Cur misto populus rigatur imbre
Qui totam lauat insulam procellis?
Defunctum queritur dolor IACOBVM.
Quem totus stupuit, quem amauit orbis.
Qui magnus facilisq; victor, hostes
Iratosq; domans amante dextra
Bellum pace potentiore vicit.
Qui pro consilio fuit sibi ipse,
Quo tanquam ex adyto loquente, voces
Cortinam saperent Apollinemq;:
Qui tam plena sacro furore scripsit
Tanquam à consiliis Deo fuisset:
Hic oracula posteris reliquit
Ad quæ confugiant futura secla,
Quæ nunquam dubio tenore fallant.

Magi

Magi ludibria hic, ineptiasq;
Mundo prodidit, & pius propheta
Tam grandis cecinit mali ruinam.
Hic secreta Libri docenda fidus
Interpres aperit, prophetiasq;
Tanquam præteritas videns revelat
Exemplum studii & patronus vnà.
Qui pro lege suis dedit seipsum,
Quem miretur adhuc honestus orbis.
Sed cur vestibus atra, & atra planctu
Luges Anglia? Non dolere Regis
Sed fatum poteris tuum; recessit
Rex inter superos ovans, piéq;
Gestit fide reâ frui corona,
Mutauit diadema iam perenni
Sceptro nobilis & manente regno,
Exemplumq; iterum tuum est: doleto,
Quod fato maneas seueriori.

Rob. Bedingfield Mag. Art.
ex Æde Chr.

PRimum iunxit amor, quæ dudùm iuncta dolore
Pectora, defuncti mors lachrymosa tui
Hoc iubet; id suasit pietas celebrata per orbem,
Quæ populo semper fluxit amica tuo.
O quoties, diuersa licet, vox hæc erat vna,
Viue tuo, *Cæsar*, tempore viue meo.
Et iam prærepti deplorant funera Musæ,
Quod pius, & Princeps, *& Lacedemonius*.
Dant tibi nunc artes, quos tu prius artibus annes,
Nec, quâ discupias viuere parte, peris.

Q i vel & æthereas cum iam prior ibis ad aures,
Manſura eſt Magni nominis vmbra tui.

T. Holt. S. T. B. C. C. C.

In obitum Iacobi primi, Magnæ Britanniæ Regis Oratio.

QVis modus exequiis? tandem quid fata minantur?
Rerum quóve ruet furor iſte?
Clarorum heu! capitum denſantur funera: menſes
Ter duo vix abeunt, quibus ecce!
Quot comites, celſiq; duces, procereſq; potentes
Occubuerunt, morte perempti,
Præpropera? Heroës, Britonum decora, ornamenta
Priſcæ cuncti Nobilitatis.
Hæc miſeri patimur taciti, (durum) atq; dolores
Altè comprimimus, nec inaneis
Fas viſum in queſtús animos diffundere, dum nos
Incolumi fruimur IACOBO.
" Sed fera mors pergit (nec enim ſatiabilis vnquam
" Ingluvies mortis) vorat vſq;
Haud membris contenta (licèt florentibus) ipſum
Sæua petit caput, eminenſq;
Culmen adorta illud, quod vix mortale fuiſſe
Credidimus (heu!) deiicit, atq;
Legibus humanæ ſortis ſubmittere cogit:
Non pietas, non purus ab omni
Labe animi candor, ſumma aut prudentia, ſceptrûm
Deniq; multipliciſq; coronæ
" Profuit aut ſplendor. Nempe eſt adamantina fati
" Vis, qua figitur ipſa dierum

Meta

" Meta cuiq; hominum, quam nemo promouet, etsi
" Transilias nihil intentatum.
Hùc igitur lachrymas, hùc quoduis flebile carmen,
Hùc gemitus, suspiria, questus
Conferte, ô quotquot Musarum auditis alumni:
Musarum quippe optimus (eheu!)
Dux iacet; & Britonum Rex Maximus optimus idem:
Rex æquiq; boniq; patronus:
Idq; Deo primùm charus, tum deinde per orbem,
Quòd latè pietasq; fides q,
Auspiciis ductuq; suo defensa vigebat:
Floruit hinc pax optima rerum,
Lætaq; iamdudum nos sæcula vidimus: atqui
" Nil datur hoc sub sole perennans.
" Versant quæq; vices: sequitur post gaudia luctus
" Nubila vt excipiunt serenum.
Sic visum est superis, dum te (Celsissime) nobis
Præripiunt, Regemq; patremq;,
Tristes & curas desideriumq; relinquunt:
Non tamen hinc penitùs solamen
Exulat omne, subit nostrarum pondera rerum
CAROLVS, Augusto patre dignus,
Filius Augustus, columenq; hæresq; paterni
Tum soliq; simul & virtutum.
Huic te Christe salus rerum obtestamur, vt adsis
Prompte, subveniasq; favore!
Imperiiq, graveis curas dignêre levare,
Cœlesti radio collustrans
Pectora, sit fidei constans adsertor, eamq,
Per populos gentesq, propaget,
Virtutem referens patriam, da pace volentes
Mitibus & frænis moderetur.

Annos

Annos fac ſuperet patrios, accedat & inde,
Sed ſerò, ordinibus Deorum.

Deg. whear Hiſt. Pr. Camdenianus.

Epitaphium.

MVſarum et pacis Rex hoc iacet in monumento,
Luget Apollineum turba novena patrem.
Cui pia cura fuit ſeclo ſtabilire quietem,
Votorum ſocios non habuiſſe dolet.
Cœleſtes ſolum excipio, quos inter Amicos
Obtinet æterna cum Iove pace frui.

L. H. S.T.B.

Hipponacteum Elogium Febris.

QVis territabit conſciam minis Febrem?
Aut claudicantes ſolvet in pedes iram,
Vt taliante Querqueram manu quaſſet?
Spretus Lycambes rursùs hìc Gener, tela
Stringat ſuperſtes, fontis haud memor Sponſæ.
Pictoris iſta diginior Lues fato,
Cui gutturis arctum dexteræ luit pœnas
Ementientis tetricos nimìs verè
Vultus Poëtæ. Promptus hìc opem ſpondet
Medicis, Poëtis vnicus Pater Phœbus.
Quìn iam Galeno, qui priùs dabant nomen,
In caſtra toti tranſeunt Poëtarum?
Furias Maronis, & parant truces Hydras?
Quin Archilochio commodant ſtylo vires?
Si ſortè ἀμουσος indoles refragetur,

Oeſtrum

Oeſtrum Hippocrenê ſortius dabit metrum;
Verſuſq; ſaltèm, promptiùs Furor fundet.
Tundenda vena eſt: teter vt fluat ſanguis,
Et perforantis exeat ſtyli iuſſu.
Infigite altum vulnus; vt litet famæ
Veſtræ imminutæ, Morbus hic, ſuo tabo,
Hic Artis ingens Dedecus ſemel veſtræ,
Quales Triumphos Arte nunc aget ſpreta?
Addetq; multis millibus trophæorum,
Fuſum IACOBVM, Millibus parem multis?
Qui prorogare vilibus, vagis Vmbris
Fatum ſoletis; dura penſa Parcarum
Sopire docti pharmaco ſalutari;
Cur imperita neſcit Ars, citos Regum
Annos morari? cur minùs ſeneſcentes
Præſtat Dynaſtas? Invidos vel inſcitos
Dicam neceſſe eſt: preſſiùs loquar, Nullos;
Si ſic ſalutis Arbiter, ſemel ſanxit.
Nec medica Medici ſemper eſt ſibi dextra;
Sed Herbâ vires exuit; parùm proſunt
Succi Malum fugare; Remediis feſſis,
Venena ſuperant. Ergò quod ſcelus Febris?
Vexare probris Pharmaca, aut opem caſſam,
Caſſo labore quid iuvet querelarum?
Quòd ſi citâſſet alter ad necem Morbus,
Non eſt, inultus quiſpiam vt fleat cædem.
Nam quis dolenti crimen imputet Nato,
Si, quando Patrem viderit trucidatum,
Succenſet Enſi, conſcioq; Mucroni?
Et expiare ſunus hoc, iubet ferrum.
Non vt furorem ſentiat nocens telum,

Sed quòd Parentis ipse senserit damnum.
Sic nos, IACOBO mortuo, Quiritamur,
Et destinamus ignibus feros Ignes,
Hoc qui Britannis invident Caput charum.
Neq; vsitato Principes putes more
Subire fatum; mortibus Monarcharum
Solenne quiddam prævio datur ritu:
Ipsum hoc perire, Regibus, sapit pompam.
Neq; Fecialis defuit migraturo
Ex hinc IACOBO. Noluit calens Æther,
Cœlum tacere noluit ratum Funus.
Cùm Siccitatis conscius Canis, nupet
Incendit Annum: Mundus & tulit Febrem;
In temperatâ torridam uidens Zonam
Flagrare passim; decoqui nimìs campos,
Cùm pro virente luridus color prata
Tinxit; Dehiscens prodidit sitim Tellus:
Quasi immineret Machinæ liquescenti
Ardor, secundam Fluctibus vicem poscens.
Præsaga nempè hæc Regii fuit Morbi
Æstas: Cometam vidimus tamen nullum,
Cæsariemvè Syderis recens nati,
Cœlum tremendis ignibus capillantem,
Quæ nunciaret Cæsaris brevi Funus.
Visceribus imis Regis intùs infixa
Flamma æstuabat. Crescit hinc gravis Luctus:
Et sine Cometâ, sensimus malum grande,
Quo nil minari sævius potest Ignis,
Impunè nunquam Luce qui ferit terras.
Hinc veritatem Fabulis putes natam:
Nam Microcosmus alterum pati nescit

Phaë-

Phaëthonta. Febri ſcilicèt parùm tutò
Credas habenas; artuum & medullarum
Decoctor iſte, tranſilit ſtatùm fines;
Nec limitatas exerit ferox vires.
Fictum Poëtis linquimus ſuis Ætnæ
Fumans cacumen, flammeo vomens ore:
Hîc viſcerales abditæ Focos Ætnæ
Ebullientes, Regium tulit pectus;
Geſtatilemq;, dixeram ferè, Lemnum.
Quis, miror, humeros prægravavit Atlantis?
Et fulminanti contulit Iovi Morbos?
Febriq; primus Numinis fidem fecit?
Hippona nempe, Pallor, & Cloacina,
Digni ſodales, cum Febre vt Chorum ducant.
Sed tale Cælum fabricat poteris Roma,
Et de Sceleſtis Sanctifex, Deus Papa.
Niliaca Templa parciùs ſcatent Monſtris;
Vbi Crocodilos, Simias, Boves, Angues,
Totamq; Libyam, ſingulis decus Fanis,
Pictam videbis: vicit hæc ferax Roma;
Tantum Deorum ſcilicet, Dearumq;
Vrbs ſepticollis conficit catervatim,
Cœlumq; miſcet Inferis. Scelus Romæ
Virtus vocatur, & fit. Eugè Bullati
Sicariorum rancidi Greges, plenos
Stipant Catalogos; ſed tamen rubent Faſti,
Hoc eſſe ſceleris præmium, Coronari.
Et Regicidam forſitan brevi Morbum,
Inter Penates priſtinos cooptatum,
Rubrica mendax credulæ nimis plebi
Oſtendet: Illud nempè præſtitit Febris,

Quod Troglodytas credimus patraturos,
Dum sulphuratas abderent specu Mortes:
Vt igne saltem hoc, Hæresin ferant plecti.
Sed mentiantur strenuè Nouatores;
Rex orthodoxus Hæresin sapit sanè,
Qui vester esse respuit palàm: Flammâ
Satis probatus, quàm sit in Fide constans,
Quàm Fæce vestrâ noluit colorari.
At nos & odium tristis efferat Fati,
Vestriq; : quorum secta Parricidalis
Tales gregatim mittit è Scholâ Pestes,
Troianus olim vt Milites Equus fudit.
Tantùm hoc calenti gratiam paret Morbo,
Quòd iam renascens, in locum Parentati
Phœnicis, alter prodit è rogo Phœnix.
At non furenti munus hoc damus Flammę,
Sed prouidenti PATRIÆ damus PATRI,
Qui tàm Serenæ tradidit Facem Proli;
Atq; viduatas Filio maritauit
Repentè terras; (sic ferè latet damnum)
Post Fata nobis excubans, soporatus,
Et post Sepulchrum, Posteris adhuc præsens.

In Symbolum IACOBI, *Beati Pacifici.*

Nunc est Pacificus satis Beatus,
Et completa videt Propheta verax;
Dum nil sollicitat, nec inquietat,
Nil paci in speciem repugnat vltrà.
Non bellum foris, aut domi tumultus,
Verè Alcedonium molestat Ævum.

Iani

Iani clauſa domus biſrontis intus,
Nec retrò ſcelus aſpicit, nec ante
Horret congeniti fori Tribunal.
Ceſſat lucta ferox, dirempta nocte,
Quam Pax certa manet, Soporq; longus:
Hæc pugnam vetat amplius foveri;
Dum nuſquam Caro Spiritum remordet,
Nec vno pariter tumultuantur
Sinu, bini Homines, vetus, novuſq;
Sed iam Stoica prorſus Ἀπάθεια.
Nil præter placidam Serenitatem
Affert, lætitiaſq; non fugaces.
Hæc eſt terra Salem, ſinuſq; pacis,
Et *Rex ille Salem, Deuſq; pacis.
Pace Pacificum beat IACOBVM.

Stuartus.

Nominis hæc ratio eſt, rationem reddere vitæ;
Hoc iam ſupremo Funere munus obit.

Di Morbis Fatalibus IACOBI & ANNÆ.

Confecit Febris IACOBVM, Intercus at ANNAM.
Humor; diuiſit Morbus, at vnit amor.
Diſſimiles aditus mortis, ſucceſſus at idem:
Vnaq; diuerſum meta coronat iter.
Scilicet in Cœlum, per Aquas, per ſcanditur Ignes;
Et fit ad Empyrium Culmen vterq; gradus.
Diluvia Hydropis fugis, aut incendia Febris,

Cùm ſit poſt Cineres Naufragiumq; ſalus ?
I nunc,& diſce à Morbis, quid denotet olim
Flammeus Eliæ currus,& Arca Noæ.

De Iiſdem.

Senſimus à binis Elementis damna Britanni,
Nobile par nobis abſtulit Ignis, Aqua.
Ecce ſalutares tamen Vndas ſenſimus, Ignes
Vidimus eluſos, innocuaſq, Faces.
Non claſſis Lunata, nec atri Pulveris ictus
Nitratus, poterant diſſociare Fidem.

Iohannes King Præbend. Eccleſ. Chr.

In mortem Screniſſimi Regis ac Domini ſui benigniſſimi IACOBI.

DUm Chriſtianus morte percuſſus tuâ
Stupeſcit Orbis, Quid reluctantes iuuat
Mulcere fælix arte peruersâ malum ?
Cur non ab iſtâ clade productus ſtupor
Inventionis organum feſſæ ligat ?
Nec cuncta ſimilis membra Lethargus tenet,
Qui glorioſum Gentis inuaſit Caput ?
Deſiſte quiſquis in characteras velis
Formare curam, & luctui vocem dare
Nimis erudito. Non eget linguâ dolor,
Qui ſe fatetur maximè quando filet.
Non eſt decorus iſte, nec gratus labor,
In lachrymante chartulâ Fatum queri ;
Aut ordinato ſoluere in rythmo genas.
Cum Verba & Artem, & omne tranſcendat Metrum
Mortalis iſta Proſa, IACOBVS FVIT.

Epita-

Epitaphium.

Ne tritam crucies Poëta Muſam,
Vt poſſis Epigramma Luctuoſum
Ad Manes Domini litare. Nulla
Vexent artifices metalla; Nullis
Cæſæ vulneribus gemant Fodinæ;
Altæ Pyramides vt erigantur,
Ac ſurgant Monimenta *Rege* digna.
Vis noſtris *Epitaphium* ruinis
Æquatum? Cineres hoc in benignos
Conſcribe Elogium. *Viator, Iſtâ*
Iacet Pacificus IACOBVS vrnâ,
Pace, quam dederat, potitus. Et ſi
Columnam Statuam vè fabricabis
Petrâ Marmoreâ perenniorem,
Dic tantùm, *CAROLVS* PATRI SVPERSTES.

Henricus King Seruus & Sacellanus.

IMpar IACOBO *Muſa*, quid nomen ſacrum
Fœdas minori carmine? Ereptum velis
Si flere dignè, publico obſtupeas malo:
Nam tanto iniquum eſt, poſſe laudari, viro.
Cuius ſacratum pectus, & plenum *Deo*,
Denſiſq, canæ nubibus prudentiæ
Venerandum, & alti, nemini ſcrutabiles,
Animi receſſus, & dolis mentem parem
Domi colebat quiſq; metuebat foris.
Cui militarem, & maſculam facundiam
Comitia, & Aulæ, & plena teſtantur fora:
Illóq, leges ore gaudebant loqui.

Quem

Quem ſæpè *Galli*, ſæpè quem *Allobroges*, *Ligur*,
Venetuſq́, bello, & pace, et ingenio potens,
Et *Belgæ*, memet conſcia optabant ſuum,
Britonum invidentes tam acre iudicium ſolo.
Cuius per orbem erat fama maior fide,
Minorq, vero. merita cui nimia nocent:
Credere futura ſecula nam audebant parum
Quod hic mereri ſeculo audebat ſuo.

Nath. Brent, Cuſtos Col. Mert.

NE parvos magnoſuè, vnum configite Regem,
Trux Aramita iubet bellum geſturus Achabo?
Scilicet vnius ſpes ſola ſaluſq, ſaluti
Incumbit populi, ſpiratq, in pectore Regis
Regnum ipſum: vitamq; animamq; exinde reſumit?
Cætera nam vano laniamus vulnere membra,
Exciſo capite, vltrò illo pereunte peribunt.
Sic vnum iam vulnus erat miſeros ſatis Anglos
Perdere, cumq; ſuo Duce condonare ſepulchro.
Si ſolum vnius capitis compage, miſella
Membra ligarentur, vel tota in ſimplice vita
Penderet malè tuta ſalus: tunc Angla IACOBI
Senſiſſet gens fata Ducis, tunc qui modò Regem
Plangimus, eſſemus lugendi, atq; ipſe, cadauer
Pullatus: ſed diuino gens noſtra fauore
Facta biceps, primi haud capitis diſpendia ſentit:
Succeditq; caput capiti, CAROLVSQ; IACOBO:
Immo IACOBVS CAROLVS! nam nil erit vnquam
Cur periiſſe putem, *C*AROLO viuente, IACOBVM.

P. H. S. T. D. Coll. Linc. Rect.

Ne

In Febrem Regis idam.

HEu, cheu, ſtulti vox non credenda popelli,
Quæ *Febrem* Regis medicinã vere benignam
Aſſeris! Heu Regi nimium crudelis, & arte
Archiatrõn major *Febris*. Quem vincere nulla
Arma, nec occultæ potuêrunt fallere technæ
Prudentem Regum (proh Fata immitia!) *Regem*.
Inſidioſa tulit *Febris*, dum ſæpè per horas
Blanda videbatur, cæcos enutrijt ignes,
Dumq; remittebat, vires attraxit, & intùs
Materiam flammæ fovit magis illa, magiſq;
Calidus atq; hoſtis, quos Marte evincere neſcit,
Arte minùs cautos fallit, fraudeſq; ſubornat.
Lurida ſic *Febris* venas depaſta calentes
Pharmaca *Doctorum* luſit, *Regemq;* peremit.
Quem ſacræ deflent *Muſæ*, *Pax* alma, *Themiſq;*,
Et tota in lacrymas diffuſa *Britannia*, luget.
Sed ſpes in *Carolo Muſarum* læta ſereno,
Ille dabit *Pacem* terris, & jura *Britannis*.

Charakter Aſtronomicus.

BIs ſex atq; decem totos regnauerat annos
Iacobus, verno tempore ſtella minax
Saturni fulſit regali *Corde-Leonis*,
Heu obijt noſter *Regis* ille *Leo*.

Ioh. Bainbridge Med. D, Aſtron.
Profeſſor SAVILIANVS.

ALme parens, (namq; hoc potiùs te nomine fas ſit
Dicere quod pietas dictat, amorq; jubet.)
Qui ſceptrum in noſtris tenuiſti mentibus, inq;
Pectoribus poteras eſſe Monarcha magis.
Cui parêre fuit prudenter velle, ſuumq;
Invitò cogi nòn prohibere bonum.

Sic ratio Angligenûm, sic mens tu sola fuisti:
Ars tua nostra salus, nostrum erat imperium.
Hæc vel in extremo versat te cura tumultu,
Et tibi jam cessans vivere, noster eras.
Iam penitùs totos morbus depaverat artus,
Sollicitant dum te publica membra magis.
Negligitur proprium communi corpore nondum
Deserto, tangit te magis illa salus.
Hoc animâ informas postremâ, ægroq tuisq:
Languenti fatis æger eras medicus.
Ite agite ô Reges hæc ad spectacula densi,
Hic noster *moriens* cerasite quantus erat.
Discite sic puluis fieri, & succedere *bustæ*,
Vt *solio*, & reges, morte vetante, mori.
Nos gemitu vero, & proprium quo quisq; parentem,
Prosequimur; fuerat sanctior ille patet:
Non quales celebrant vulgaria funera reges,
Quels lacrymas solùm publica damna linant.
Hunc salvi & nullo luctum instigante periclo,
Lugemus, quo sit simplicior pietas.
Nam ne isto pereat demersa Britannia fato,
Plenè effecerunt & *Deus* & *Carolus*.

Emil. Iuxon L.L. Doct. & Coll. D.
Iohannis Baptistæ Præses.

ILle inuictus erat, nec lumine dignus, ocellos
Iustitiæ quisquis noluit esse suos!
Scilicet amisso diuino Principe, virtus
(Heu supereſt virtus si modo) quæq; dolet.
Ac sic occlusis lacrymarum fontibus, illi
Non erit, effleri debuit unde, dolor.

Cùm fremerent totâ quondam sera Prælia Terrâ,
Astræa in placidum cesserat alma Polum:
At nunc Æthereæ succumbens litibus Aulæ,

Cæleſt-

Cæleſtis ſocium, vult ſibi Virgo dari.
Senſit, & attonitum Mundum turbante Gradivo,
Dilectam Aſtræam Rex comitatus, obit.

Poſſumus (heu!) *Iuris* verè jam dicere *Corpus*:
Namq; *Anima* in Cælum Menſq; *Iacobus* abit.

Kic. Zouch LL. Doctor, & Regius
Profeſſor Iuris Civilis.

Rex Pacificus.

PAcificus titulo, re, Magne *Iacobe*, beatos
Efficis, & linquis nos quoq; pace *Tua*.

Iuſtus.

Te juſtum Servi Precantis, Populuſq; Britannus,
Conſilium Regni, Regnaq; trina ſonant.

Doctus.

Te referunt Tua ſcripta inter miracula Regum;
Non Rex à *Shelomo* doctior ullus erat.

Pius.

Rex pius inſtaurat Templum, cultumq; repurgat
Divinum; curat Biblia pura fluant.

Benignus.

Te Benefactorem ſenſêre Academia multi;
Theologus, Medicus, Iuridicuſq; Patrem.
Pacificus, Iuſtus, Doctus, Pius, atque Benignus,
Marmor quæ ſuperant dat monumenta ſui.

Tho. Clayton Med. Prof. Reg.
Coll. Pembr. Mag.

PRo triplicis regni triplici fulgore Tri-unus
Eſt (*Iacobe*) tibi magna corona Deus.
Et, quæ Cæſareo radiabant vertice gemmæ,
Lucent æthereo ſydera fixa polo:
Sic eſt nacta ſuo pro Rege Britannia numen,
Miſta dehinc lacrymis thura cremate focis.

Credite me vobis fabulam recitare Sybillæ,
Iacobus felix mortuus astra colit.
Pacificum vitâ qui non post fata *Beatum*
Dixerit, indignus pace Deoque stupet.

Augustus placidâ compôstus pace quiescit,
Nam vitæ mortem convenit esse parem.

Io. Wall S. Th. Doct.
ex Æde Christ.

SIstas victor; quò pedem temerè velis?
Fortasse non vltra est datum:
Terrarum Apollo, qui vacillanti huic globo
Et pacis, & belli arbiter
IACOBVS, ecce mutus, elinguis iacet;
Cor, lingua mundi qui fuit:
Erravit ille rupe Tarpeiâ sedens
(In sceptra præceps involans)
Qui regna mundi fraude, fulminibus rapit,
(Solus Monarcha vt creditur)
Nam quid IACOBVS? tale nil: placida manu
Sic trina sceptra rexerat;
Vt ab orbe toto Numen elapsum polo
Credatur, & mundi Arbiter;
Quid? quod superbum Romuli, haud Petri genus,
(Non talis illi spiritus)
Sed sic repressit insolens Papæ caput
Dextro IACOBVS numine,
Vt iam ruinæ proximus iaceat miser
Fastigiato vertice.
Pandora certè; cuius immensos sinus
Dum dij, deæque impleuerint,
Inane reddant omne virtutis penu,
Nudasq; linquunt Gratias.

Et nisi IACOBI filius CAROLVS, patrem,
Et ore qui fert, menteq;,
Hæc damna nobis iam resarsisset, salus
Prorsus periret Brittonum.
Animata rursus, (mente non nouâ tamen)
(Nam in Carolo viuit pater)
Lætare, gaude, (quodq; sit faustum precor)
Fælix triumphes Insula.
Quid si *Iacobi* truncus exanimis jacet
Vt esca diris vermibus:
Invasit anima, (jamq; *Pythagoras* sapit)
Sublime pectus *Caroli*.
Quid mors lucrata est? ecce dum ἀκόφαλον studet
Regnum Britannum linquere,
Invita forsan (capita sed tribuit duo)
Sic fit nocendo mitior)
Nam nunc *Iacobus* regnat, & *Carolus* simul
(Vnita vis est fortior)
Imago, *Carolus*, cor, jecur, cerebrum Patris,
Ipse & parentis spiritus:
In quem *Iacobus* Κρύφια, & imperij sacra
Fudit peritus artifex;
Vt quasi regendo fessus, (hoc pactum puto)
Sceptrum resignat filio:
Ergo euge *Carole*, patris Imperio datus,
Natusq;, (par enim est stylus)
Virtute Patrem sequere, (non dubium est genus)
(At qui nec illud, quæritur.)
Refers utroq;, quodq; jam utriq; est honos,
Vivit Iacobus Carolo.

Tho. Iles Sac; Theol. Doct. Aulæ
Cervinæ Principalis.

CEnotaphium non est, quod hic, hospes, vides,
Nec quod madentibus se adiri vult genis;
Nec in favillas pulveris pyrij rogo,
Quem plena Papæ struxerat demens cohors,
Iërat *Iacobus* ante fatalem diem:
Sed nec *Rutheni* perfidus Rege in furor
Iugulârat hospitem impio illectum dolo.
Nec Colchis artibus nefandis in vada
Scopulosque cum socia tori reducem egerat,
Elapsus inferni, maris, terræ malis,
In pace solers, artifex pacis suâ,
Suique *Caroli* superstitis in sinu,
Deum precatus antè non voto irrito
Ecclesiæ quæ cogitârat adhuc bona
Corpus sepulchro liquit integrum & senex.

Mirêre ad cælum quare non sectùs iret,
Qui populo in terris numinis instar erat.
In terris cum Pace mortis maxillæ juvabat:
Nunc libuit, populo bella petente, mori.

Legantem nobis etiam mentire *Iacobum*,
Mentite *Regis* præsulem.
Scribito sacrificum lecto morienris aliptem
Admotum, & ex frusto Deum.
Scribe & apostatica morientis voce negatam,
(Nam dignum & oris hoc tui est)
Quam puer imbiberat, quam scriptis, legibus, armis
Defenderat semper fidem.
Vel rumpare licet: Tamen hoc & saxa loquentur,
Fidei hic situs defensor est.

Rob. Pinck Novi Coll. Custos.

Pacificus.

INscribant alij suis sepulchris
Bellorum Exuvias, Cruoris amnes,

Cap-

Captivas miseraſq; Nationes:
Vt *Magni* titulo ſuperbientes:
Occidant populos, & inquietent,
Magnus Pacifico eſt minor IACOBO.
Incidas tumulo, *Hîc iacet quietus*,
Author quietis ſibi ſuiſq;:
At ſi mirificos velis triumphos,
Nullis vulneribus, nec enſe partos;
IACOBI repetas ſacrum volumen,
En Romam ſpoliatam, & Antichriſtum.

Menſæ IACOBI.

Haud ignota loquor, licet ævo ignota priori,
Cum Rex diſcubuit, menſa Cathedra fuit:
Paſcebat magis adſtantes non pane, ſed Arte;
Fercula ſumebat, ſed meliora dabat.
Quæſtio prima fuit, quid diâ volumina narrent,
Vt ſaturent mentem; Cura ſecunda dapis.
Curia facta ſchola eſt, cum iam migraſſet in Aulam
Doctrinæ Genius, Deliciæq; ſcholæ.
Quando Ænigma novum Doctum vexaverat orbem,
Hîc nodus noſtro Cæſare dignus erat.
Expecto ſimilem, cum forte Platonicus annus.
Venerit.

Samuel. Fell S.T.P. Eccleſ.
Chriſti Præb.

QVod nomen? quæ nos gemitûs laudúmq; laceſſit
Larga ſeges? IACOBVS abeſt: In funere tanto
Quis non ingenium, quis non deſperet ocellos
Poſſe ſatis? Iam diſpenſet licet Anglia luctus,
Partem & quiſq; ſuam ploret, queis vnica reſtat
Flere dies, illis menſis non ſufficit vnus.
Accreſcet cum ætate dolor, firmatus & annis
Maior erit fietq; olim præſentior iſte
Venturis meritòq; Senes ante acta loquentur.

Fia

Eia agedum ſui tui repetant te mente Nepotes
Dum ſimiles fieri cupiunt, & agone decoro
Decertant, quis regnandi perfectior arte
Accedat tibi proximiùs; dùm tu omnibus vnus
Exemplar luces, proponeris atq; Tabella,
Vnde animam effigiare queant, & ducere mores:
Qualis Te Ille (Tui melior qui ſpirat imago)
CAROLVS expreſſit fæliciùs: Ille paterni
Imperijq; animiq; hæres, qui non ſinet vnquam
IACOBVM, ſimili regnans virtute, perire.

Sampſon Price S. T. P. è Coll: Exon.

QVid increpamus Numina? At ſcelus noſtrum
Regem interêmit; Dumq; flere noſipſos
Puduit, IACOBVM flemus: Illius lethum
Fit pœna noſtra; Quodq; Gens ſumus contra
Cœlum prophana, totq; proditores, Rex
Regum miſellis abſcidit caput nobis.
Neq; obſtupeſcat Orbis Emicans nullo
Cœlum Cometâ; ſeculi ſui ſplendor,
(Et mihi perenni lumine occidens) *Derſet*,
Clariſſimus *Lenox* vterq; , *Southampton*,
Belfaſt, *Hamilton*, præſciuſq; *Nottingham*,
Vnius anni damna, Regiæ cladis
Omen dedêre, An non timenda mors eſſet
Regis vbi magnates fuêre portenta.

Rich: Corbett S. T. D. Ædis
Chriſti Decanus.

SI mihi Papali licuiſſet more tonare,
Tempora quàm tua (Mars) fulmine concuterem?
Non ſatis eſt inſtar truculenti exire, leones
Quin tecum noſtros in tua buſta trahas.
An num fælicem qui ver non nouerit vnum,
Quã *flos* ipſe Anni flore oriente cadat.

Sam: Rad. Coll: Æneï-Naſi Prin:

NE quid in humanis fidum tutumve putemus,
Exemplo (Rex magne) tuo, caſuq; docemur.
Eheu quàm multos de te præſumpſimus annos?
Eheu quam longam placido ſub Principe pacem
Polliciti nobis? ſed ſpes & vota fefellit
Mortifera, & nulli parcens lethalis arundo.
Non te maieſtas regni, ſceptrumq; verendum,
Non pietas, non pacis amor, ſtudiumq; tuorum,
Non animi variæ dotes, pectuſq; fluentis
Cæleſtis ſophiæ rigatum, diuinaq; virtus,
Non dulces linguæ Veneris, Suadæq; medulla,
Fa a ſi poterant a morbo & morte tueri.
Heu IACOBE cadis violento ſaucius ictu
Europæ quondam ſplendor, ſyduſq; coruſcum,
Deliciæ Britonum, flos mundi, gloria Regum:
Sed nil flere iuuat: facta eſt divina voluntas,
Et lacrymas (Rex) ipſe veras meliore petitas
In cælis regno: terras neq; deſeris ipſas,
Æternum tua ſcripta leget, tua facta loquetur
Poſteritas, vitamq; dabit tibi poſthuma Proles.

Io. Parkhurſt Mag. S.T.D. Coll: Bac.

ALta in pace omnes ſic edormiuimus annos,
Vt non percepto fluxerit hora pede.
Nec ium conſuetum facile eſt deciſcere nomen,
Et tit ubat noto in murmure lingua libens;
Corrigit & lapſas, inter ſuſpiria, voces,
Atq; hoc errare in Nomine poſſe, dolet.
Ah quantas poteras hîc exegiſſe Calendas,
Et tamen inuidiâ mortis obire pari.
Rex iuſtus moriens properat nimis, iſta nec vllâ
Excuſet fatum funera canitie.
In ſenio Auguſtus Romæ immaturus obibat,
Calligula in minimo tempore Neſtor erat.

Dan: Price S. T. P. Decanus
Hereford: è Coll; Exon:

Parentalia IACOBO.

FVnus, & Imperium capiat: vibrare sepultus
Inuitis vinclis Artica sceptra potest.
Nempe dat Authori Tumulus famamq; fidemque;
Scripta vocat Textum, lecta valere iubet.
Regia *Iacobi* sacros sic Pagina fasces
Vendicat: inde scholas, Regna futura, petit.
Imperet hinc Cathedris Regum Doctissimus: æquæ
Sic mors tum Tumulum, tum Diadema dedit.

Richardus Steward LL. D.
Coll. O. A. Socius.

HEu quoties fatum nostris imponit ocellis?
Vt Britonum planctu tristior annus eat?
Dum proceres obiëre prius, rex ipse sequutus,
Et cecidit nostro lumine stella *Iacob*,
Ast ea non cecidit, potuit cecidisse videri
Atq; oritur sphærâ conspicienda novâ.
Princeps non moritur victus, tantum occidit ille,
Surget, & occasu gloria maior erit.

Rich. Astley Cust. Coll.
Omn. Anim.

Conclusio ad Lectorem.

SI Lector malè curiosè quæras
Quâ Musâ genióve *lugeamus*,
Postquam vita Britannica, vnicusq;
Nostri carminis artifex recessit:
Præsto est quod regerat Liber roganti.
Nôrit, non subitò perire corpus,
Quánquam ipso capite ante diminutum,
Atq; efflâsse animam simul videret.
Est quædam mora palpitantis oris,
Quâ vitam quasi posthumam reponat.
Tunc ægrè satis vltimum tremorem,
Sensimq; & saliente membra nisu
Exhalant; animæq; transeuntis
Ceu vestigia postea innotescunt.
Sic luctatur adhuc velut cadauer
Truncusq; imperij Britannici, sic
Musarum mutilatus ordo languet,
Et tantùm veterem evaporat æstum.
Sed tandem calor inditus recedit,
Pectus desinit Entheum; Camæna
Cantûs explicit, vsq; dumnouelli
Rursum Numinis incalescat æstu.

IO. PRIDEAVX
Vice-Canc. Oxon.